VENETO

F 5

16

VENETO

1. h. 15.

25

6 C 17

K di sop:
so. I

MARSILII F
FLORENTINI, M
ATQVE PHILOSO
CELEBERRIMI DE VI
LIBRI TRES,

Recens iam à mendis sitúque indicati, ac summa castigati diligentia.

QVORVM.

Primus, de Studiosorum sanitate tuenda,
Secundus, de Vita producenda.
Tertius, de Vita cœlitus comparanda.

His accessit Epidemiarum Antidotus, Ex idiomate Thusco latinitate donata.

spes eius: & non respexit



Beatus uir, cuius est dominus — in uanitates, & insanias falsas.

Venetijs ad Signum Spei. 1548.

ATENEO VENETO VENEZIA

ae Vita, ad magnanimum Laurentium Medicen patriæ ſeruatorem, Epiſtola dedicatoria.



ACCHVM Poetæ ſummum antiſtitem ſacerdotum, bis natum canunt. Fortè ſignificantes, uel futurum ſacerdotem ſtatim initiatum, oportere renaſci. Vel perfecti tandem ſacerdotis mentem Deo penitus ebriam, iam uideri renatam. Aut forſan humiliore ſenſu, unum Bacchi germen generari ſemel in uite quaſi Semele, maturis ſub Phœbo racemis: regenerari rurſum poſt ipſum uindemiæ fulmen in ſuo uaſe uinum, uelut in Iouis femore merum. Sed de ſacris in præſentia myſterijs non eſt loquendum, ubi mox phyſica potius ope languentibus opitulaturi ſumus. Nec agendum ſtylo grauitatis ſeruo, ſed libero potius & iocoſo, poſtquàm à Libero patre neſcio quomodo ſtatim exorſi ſumus. Et rectè inquam neſcio quomdò. nam fortè prudentior aliquis à Phœbo medicorum primo, potius quàm à Baccho medicinam auſpicatus eſſet. Quid uerò? Si quod non uanum omen ſit in ore nunc ſorte quadam profitrente Bacchum. Hic enim almo quodam uino ſecuritateq; lætiſſima, ſalubrius fortè medetur, quàm herbis ille ſuis carminibuſque Phœbus. Quocunque uerò ſenſu uel illa, uel hæc acceperis, dux ille ſacerdotum Bacchus, geminas quaſi matres habuiſſe fertur. Melchiſedech au-

tem summus ille sacerdos, unam uix matrem, unum uix patrem habuit. Ego sacerdos minimus, patres habui duos, Ficinum medicum, Cosmum Medicen. Ex illo natus sum, ex isto renatus. Ille quidem me Genio, tum medico, tum Platonico commendauit, hic autem diuino consecrauit me Platoni. Et hic similiter atque ille Marsilium medico destinauit. Galenus quidem corporum, Plato uerò medicus animorum. Iandiu igitur sub Platone salutarem animorum exercui medicinam, quando post librorum omnium eius interpretationem, mox decem atque octo de animorum immorlitate libros, & æterna felicitate composui, ita pro uiribus patri meo Medici satisfaciens. Medico uerò patri satis deinceps faciendum putans, librum de literatorum ualetudine curanda composui. Desiderabant præterea post hæc homines literati, non tantum bene quandoque ualere, sed etiam bene ualentes, diu uiuere. His ergo deinde librum De uita longa dedi. Diffidebant autem medicinis atque remedijs in re tanta terrenis. Adiunxi librum de Vita, tum ualida, tum longa cœlitus comparanda, ut ex ipso mundi corpore uiuo, uita quædam uegetior in corpus nostrum quasi quoddam mundi membrum, uelut ex uite propagaretur. His uerò tu medicinæ libris ignosce precor indulgentißime Laurenti, si dum medicus esse uolo, nescio quomodo etiam nolens sum, etsi non bonus, sæpe poeta. Nam & Phœbus idem est medicinæ repertor, poesisque magister, uitamque ille suam nobis non tam per herbas, quàm per citharam cantumque largitur. Ipsa quinetiam Venus apud Astrologos Musicum æque parit & Medicum. Sed hactenus dum literatorum ciuiumque similium uitæ, cu-

rioſius conſulo, librorum meorum ſalutem negligo, quandiu inter ſe patior eſſe ſeiunctos. Quamobrem in eos nunc primum pius, in corpus unum copulo. Cuius artubus in unam formam iam compactis, uita protinus adſit. Non poteſt autem hoc opus phyſicum, id quaſi corpus meum, uitam accipere niſi meam. Eiuſmodi uerò uita ex mea duntaxat pendet anima. Hæc autem iandiu penes te magnanime Laurenti mi patrone uiuit, in ea præſertim ampliſſimarum ædium tuarũ parte, ubi unà cum Platone, noſtrum illud de animorum immortalitate ſeruatur opus, tuo iampridem nomini dedicatum. At animus iſte meus, etſi in beata quadam quaſi patria penes te uitam agit: ueruntamen quod & Theologi uolunt, inquietus eſt interea, donec opus id phyſicum tanquàm ſuũ corpus accipiat.

Accipe igitur optime Laurenti poſt illos de Anima, hos etiam de corpore libros: eodémque afflatu, quo & illis dudum, feliciter his aſpira. Ita enim & corpus hoc ſub tuo ſpiritu, per ſuam uiuet animam, & anima uiciſſim noſtra cum iam ſuo corpore in tuis laribus conquieſcet.

✠

MARSILII FICINI FLORENTINI, MEDICI ATQVE PHILOSOPHI CELEBERRIMI, de Studiosorum sanitate tuenda: siue eorum qui literis operam nauant, bona ualetudine conseruanda,

LIBER PRIMVS.

DE NOVEM STVDIOSORVM DVCIBVS. CAP. I.

QVICVNQVE iter illud asperum arduumq; et longũ ingrediuntur, quod quidem uix tandem ad excelsum nouem Musarum templum assiduo labore perducit, nouem omnino itineris huius ducibus indigere uidentur: Quorum primi quidem tres in cœlo, tres sequentes in animo, postremi tres ĩ terra, nos ducũt. Principio, in cœlo Mercurius, ut in Mercurij uestigãdo Musarũ iter aggrediamur, uel impellit uel adhortatur: siquidẽ Mercurio tributum est inuestigationis omnis officiũ. Deinde Phœbus ipse, & quærentes animos & res quæsitas splẽdore uberrimo sic illustrat, ut perspicuè quod quærebatur, à nobis inueniatur. Accedit gratiosissima Venus, Gratiarum mater, atque almis omnino lætisque radijs suis, rem omnem adeò condit & ornat, ut quicquid & instigante Mercurio quæsitum fuit, & monstrante Phœbo

officium.

Animorũ duces.

iam erat inuentum, mirifica quadã & salutari uenustate Veneris circunfusum, delectet semper & prosit. Sequuntur tres itineris huius duces in animo, uidelicet uoluntas ardẽs & stabilis, acumen ingenij, memoria tenax. Tres in terra postremi sunt, prudentiß. paterfamiliâs, probatiß. præceptor, medicus peritiß. Absq; his nouem ducibus nemo ad ipsum nouẽ Musarum templũ peruenire uel potuit, uel poterit unq̃. Cæteros quidem duces ab initio nobis præcipue Deus omnipotens naturâque tribuerunt, tres uerò postremos nostra adhibet diligentia. Sed præcepta officiaq; quæ ad patrẽfamiliâs, & quæ ad præceptorẽ circa literarũ studia pertinẽt, antiqui plures sapientésque tractauerunt, præcipuè Plato noster, & sæpe aliàs & in lib. de rep. ac de legibus diligentißimè. Deinde Aristoteles in Politicis, Plutarchus quoque & Quintilianus egregiè. Solus autem literarum studiosis hactenus deest medicus aliquis, qui manum euntibus porrigat salutaribúsque consilijs atque medicinis adiuuet eos, quos neque cœlum, neque animus, neque paterfamilias præceptórue destituit. Ego igitur sortem eorum laboriosißimam miseratus, qui difficile Mineruæ minuentis neruos, iter agunt, primus tanquam medicus debilibus & ualetudinarijs adsum, sed utinam facultate tam integra, quàm propitia uoluntate. Surgite iam adolescentes, Deo duce alacres: Surgite iuuenes, atque uiri, quos ardentius Mineruæ studium nimium eneruat: Accedite libenter ad medicũ, qui uobis ad instituti uestri perfectionẽ, mõstrãte Deo atq; fauẽte, cõsilia remediaq; salutaria largitur.

Quàm diligens habenda cura sit cerebri, cordis, stomachi, & spiritus. Cap. 2.

PRincipio quantam cursores crurium, athletæ brachiorum, Musici uocis curam habere solent, tantam saltem literarum studiosos cerebri, & cordis, iocinoris{que}, & stomachi oportet habere rationem: immo uerò tanto maiorem, quanto & membra hæc præstantiora quàm illa sunt, & ij frequentius atque ad potiora his membris, quàm illi illis utuntur. Præterea solers quilibet artifex instrumenta sua diligentißime curat: penicillos pictor, malleos incudés{que} faber ærarius, miles equos & arma, uenator canes & aues, citharam citharœdus, & sua quis{que} similiter. Soli uerò Musarum sacerdotes, soli summi boni ueritatis q; uenatores, tã negligentes (proh nefas) tamq; infortunati sunt, ut instrumentum illud, quo mundum uniuersum metiri quodammodo & capere possunt, negligere penitus uidentur. Instrumentum eiusmodi spiritus ipse est, qui apud medicos uapor quidam sanguinis, purus, subtilis, calidus, & lucidus definitur. Atque ab ipso cordis calore, ex subtiliori sanguine procreatus uolat ad cerebrum, ibiq; animus ipso ad sensus tam interiores quàm exteriores exercendos aßiduè utitur. Quamobrem sanguis spiritui seruit, spiritus sensibus, sensus denique rationi. Sanguis autem à uirtute naturali, quæ in iocinore stomachóque uiget, efficitur. Tenuißima sanguinis pars fluit in cordis fontem, ubi uitalis uiget uirtus. Inde creati spiritus cerebri, & (ut ita dixerim) Palladis arces ascendunt: In quibus animalis, id est, sentiendi mouendiq; uis dominatur. Itaque talis plurimum fermè contemplatio est, quale sensus ipsius obsequium. Talis autem sensus, qualis & spiritus: spiritus uerò talis, qualis & sanguis:

Cerebri cura diligens habenda.

Hepatis cura habenda studioso.

& tres illæ uires quas diximus, naturalis scilicet, uitalis, & animalis, tales, ut sunt à quibus, per quas, in quibus spiritus ipsi concipiuntur, nascuntur, atque fouentur.

Literatos pituitæ & atræ bili obnoxios esse. Cap. 3.

Literati quibus uiuant obnoxij morbis

NOn solum uerò membra illa, uiréque & spiritus, homines literarum cupidi curare diligentissime debent, uerumetiam pituitam semper & atram bilem, non aliter quàm nauigantes Scyllam atque Charybdim, cautissime euitare iubentur. Quantum enim reliquo corpore ociosi sunt, tantum cerebro ac mente negocioſi. Inde pituitam, quod Græci phlegma: hinc atram bilem, quam ijdem melancholiam uocant, gignere compelluntur. Illa quidem ingenium sæpe obtundit & suffocat, hæc uerò si nimium abũdauerit flagraueritue, assidua cura crebrisq; deliramẽtis uexat animum, iudiciúmque perturbat: ut non immeritò dici possit, literatos fore præcipuè sanos, nisi pituita molesta esset: & lætissimos sapientissimósque omniũ, nisi bilis atræ uitio uel mœrore sæpe, uel interdum desipere cogerentur.

Quot sint causæ, quibus literati melancholici sint, uel fiant. Cap. 4.

Causæ humoris melancholici.

VT autem literati sint melancholici, tres potissimum causarũ species faciunt: Prima cœlestis, secunda naturalis, tertia est humana. Cœlestis, quoniã Mercurius, qui ut doctrinas inuestigemus inuitat, et Saturnus, qui efficit ut in doctrinis inuestigandis perseueremus, inuentásque seruemus, frigidi quodãmodo sicciq; ab Astronomis esse dicuntur: uel si fortè Mercurius non sit frigidus, fit tñ

sæpe Solis propinquitate ficciſsimus, qualis eſt natura apud medicos melancholica: eandémque naturam Mercurius ipſe & Saturnus literarum ſtudioſis, eorum ſectatoribus impertiunt ab initio, ac ſeruant augéntque quotidie. Naturalis autem cauſa eſſe uidetur, quòd ad ſcientias præſertim difficiles conſequendas, neceſſe eſt animum ab externis ad interna, tanquàm à circumferentia quadam ad centrum ſeſe recipere: atque dum ſpeculatur in ipſo (ut ita dixerim) hominis centro, ſtabiliſsime permanere. Ad centrum uero à circumferentia ſe colligere, figiq; in centro, maxime terræ ipſius eſt proprium, cui quidem atra bilis perſimilis eſt. Igitur atra bilis animum, ut ſe & colligat in unum, & ſiſtat in uno contempletúrque, aſsidue prouocat. Atque ipſa mundi centro ſimilis, ad centrum rerum ſingularum cogit inueſtigandum, euehitq; ad altiſsima quæque comprehendenda, quandoquidem cum Saturno maxime congruit altiſsimo planetarum. Contemplatio quoque ipſa uiciſsim aſsidua quadam collectione & quaſi compreſsione, naturam atræ bili perſimilem contrahit. Humana uerò ea ex nobis cauſa eſt, quoniam frequens agitatio mentis cerebrum uehementer exiccat: igitur humore magna ex parte conſumpto (quod caloris naturalis pabulum eſt) calor quoque plurimum ſolet extingui, unde natura cerebri ſicca frigidáque euadit, quæ quidem terreſtris & melancholica qualitas nominatur. Præterea ob frequentiſsimum inquiſitionis motum, ſpiritus quoque moti continuè reſoluuntur: Reſolutos autem ſpiritus, ex ſubtiliore ſanguine inſtaurari neceſſarium eſt. Quapropter ſubtilibus clario ribúſq; ſanguinis partibus ſæpe con-

Atra bilis.

sumptis, reliquus sanguis necessariò densus redditur & siccus & ater. Accedit ad hæc, quod natura in contemplatione, cerebro prorsus cordiq; intenta, stomachum hepárque destituit. Quare alimentis præsertim uel uberioribus uel durioribus malè concoctis, sanguis inde frigidus crassusq;, & niger efficitur. Demum nimio membrorum ocio, neque superflua excernuntur, neque glutinosi tenaces, fusciq; uapores exhalant. Hæc omnia melancholicum spiritum, mœstumq;, & pauidum animum efficere solent. Siquidem interiores tenebræ multo magis quàm exteriores, mœrore occupant animum atque terrent. Maximè uero literatorum omnium hi atra bile premuntur, qui sedulo philosophiæ studio dediti, mentem à corpore, rebusq; corporeis seuocant, incorporeisq; coniungunt: tum quia difficilius admodum opus maiori quoque indiget mentis intentione: tum quia quatenus mentem incorporeæ ueritati coniungunt, eatenus à corpore disiungere compelluntur. Hinc corpus eorum nonnunquam, quasi semianimum redditur atque melancholicum. Quod quidem Plato noster in Timæo significat, dicens: animum diuina sæpissimè & intensissimè contemplantem, alimentis eiusmodi adeò adolescere potentémque euadere, ut corpus suum suprà quàm natura corporis patiatur exuperet: ipsumq; uehementioribus agitationibus suis aliquando uel effugiat quodammodo, uel nonnunquàm quasi dissoluere uideatur.

Animum cogitatione intentum corpus ferè deserere.

Cur Melancholici ingenioſi ſint, & qui horum ſint huiuſmodi, aut ſecus

Cap. 5.

HActenus quam ob causam Musarum sacerdotes melancholici uel sint ab initio, uel studio fiant, rationibus primo cœlestibus, secundo naturalibus tertio humanis ostendisse sit satis. Quod quidem confirmat in libro problematum Aristoteles: Omnes enim, inquit, uiros in quauis facultate præstantes melancholicos extitisse. Qua in re Platonicum illud quod in libro de scientia scribitur, confirmauit: ingeniosos uidelicet plurimum concitatos furiosos q; esse solere. Democritus quoque nullos, inquit, uiros ingenio magnos, præter illos qui furore quo factum. dam perciti sunt, esse unquàm posse. Quod quidem Plato noster in Phædro probare uidetur, dicens poeticas fores frustra absque furore pulsari. Etsi diuinum furorem hic fortè intelligi uult, tamen neque furor eiusmodi apud Physicos, alijs unquàm ullis, præterquàm melancholicis incitatur. Deinceps uerò assignandæ à nobis rationes sunt, quare Democritus, & Plato, & Aristoteles asserant, melancholicos nonnullos interdum adeò ingenio cunctos excellere, ut non humani, sed diuini potius uideantur. Asseuerant id Democritus, Plato, & Aristoteles absque dubio: rationem uerò tantæ rei haud satis explicare uidentur. Audendum tamen (monstrante Deo) causas indagare. Melancholia (id est, atra bilis) est duplex: Altera quidem naturalis à medicis appellatur, altera uerò adustione cõlacholia, si tingit. Naturalis illa nihil est aliud, quàm densior quædam ue atra bisicciórque pars sanguinis. Adusta uerò in species quatuor distribuitur. Aut enim naturalis melancholiæ, aut sanguinis purioris, aut bilis, aut salsæ pituitæ combustione concipitur. Quæcunque adustione nascitur, iudicio & sa-

pientiæ nocet: nempè dum humor ille accenditur atque ardet, concitatos furentésque facere solet, quam Græci Maniam nuncupant, nos uerò furorem. At quando iam extinguitur, subtilioribus clarioribúsque partibus resolutis, soláq; restante fuligine tetra, stolidos reddit & stupidos. quẽ habitum melancholiam propriè, et amentiã uecordiámque appellant. Sola igitur atra bilis illa quam diximus naturalem, ad iudicium nobis sapientiámque conducit. Neque tamen semper. Sanè sit sola sit, atra nimium densáque mole obfuscat spiritus, terret animum, obtundit ingenium. Si uerò pituitæ simplici misceatur, cum frigidus obsliterit circum præcordia sanguis, crassa quadam frigiditate segnitiem adducit atque torporem, atque ut densissimæ cuiusque materiæ natura est, quando eiusmodi melancholia frigescit, ad summum frigiditatis intenditur. Quo in statu nihil speratur, timentur omnia, tædet cœli conuexa tueri. Si bilis atra uel simplex uel mista putrescit, quartanam gignit febrem, lienis tumores, & multa generis eiusdem. Vbi nimis exuberat, siue sola sit, siue coniuncta pituitæ, spiritus crassiores facit atq; frigidiores, continuo animum afficit tædio, mentis aciem hebetat, nec salit Arcadico circum præcordia sanguis. Oportet autem atram bilem neque tam paucam esse, ut sanguis, bilis, & spiritus quasi fræno careant: unde instabile ingenium labilémque memoriam esse contingat: Neque tam multam, ut nimio ponderè prægrauati, dormitare atque egere calcaribus uideamur. Proinde necessarium est, omnino eam esse quoad eius natura patitur, subtilissimam. Si enim tenuata pro natura sua maxime fuerit, poterit forsitan absque noxa etiam esse

Mania, id est, furor.

Atræ bilis proportio

Atræ bilis morbi.

multa, atque etiam tanta, ut æquare bilem saltem ponderare uideatur. Abundet igitur atra bilis, sed tenuissima, non careat humore subtilioris pituitæ circumfuso, ne arescat prorsus, durissimáque euadat. Non tamen misceatur omnino pituitæ, præsertim uel frigori uel multæ, ne frigescat. Sed bili sanguiniqúe adeò misceatur, ut corpus unum conficiatur ex tribus, dupla sanguinis ad reliqua duo, proportione compositum. Vbi octo sanguinis partes, duæ bilis, duæ iterum atræ bilis portiones existant, accendatur aliquantulum à duobus illis atra bilis, accensáque fulgeat, non uratur, ne, quemadmodum solet materia durior, dum feruet nimium, uehementius urat & concitet: dum uerò refrigescit, similiter frigescat ad summum. Bilis enim atra ferri instar, quando multum ad frigus intenditur, friget ad summum: quando contra ad calidum ualde declinat, calet ad summum. Neque mirum uideri debet atram bilem accendi posse facile, atque accensam uehementius urere. Siquidem uidemus calcem illi similem, aqua perfusam feruere statim atque exurere. Tantam ad utrunque extremum melancholia uim habet, unitate quadam stabilis fixæqúe naturæ. Quæ quidem extremitas cæteris humoribus non contingit. Summe quidem calens summam præstat audaciam, immo ferocitatem: extremè uerò frigens, timorem ignauiámque extremam. Medijs uero inter frigus calorémque gradibus affecta uarie, affectus producit uarios, non aliter quàm merum, præcipue potens, bibentibus ad ebrietatem, uel etiam paulo liberius affectus inferre uarios solet. Igitur opportune temperata sit atra bilis oportet. Quæ cum ita moderata est, ut diximus, & bili san- Melancholiæ uis

quinique permista, quia & natura sicca est, & conditione, quantum ipsius natura patitur, tenuissima: facile ab illis accenditur, quia solida est atque tenacissima: accensa semel diutissime flagrat, quia tenacissimæ siccitatis unitate potentissima est, uehementius incalescit. Quemadmodum lignum in paleis si utraque accendantur, magis diutiusque calent & lucent. Atqui à diuturno uehementique calore, fulgor ingens, motusque uehemens & diuturnus proficiscuntur. Huc tendit illud Heracliti: Lux sicca, anima sapientissima.

Heracliti dictum

Quo pacto atra bilis ingenioſos efficiat. Cap. 6.

QVæret forte quispiam, quale sit corpus illud humoris eiusmodi ex tribus illis humoribus ea qua diximus proportione conflatum. Tale est fermè colore, quale aurum esse uidemus, sed aliquantum uergit ad purpuram. Et quando tam naturali calore quàm uel corporis uel animi motu accenditur? fermè non aliter quàm ignitum rubens que aurum, purpureo mistum calet & lucet, atque uelut iris trahit uarios flagrante corde colores. Quæret aliquis iterum, quonam pacto humor eiusmodi conducat ingenio. Nempe spiritus ex hoc humor creati, primò quidem subtiles sunt, non aliter quàm aqua illa, quam & Vitæ, seu Vitis aquam nominant & ardentem, quoties ex crassiori mero, quadam ad ignem destillatione, ut fieri solet, exprimitur. Spiritus enim sub angustioribus atræ bilis eiusmodi compressi meatibus, uehementiore ob unitatem calore, maximè tenuantur, pérque arctiores meatus expressi, subtiliores erum-

punt, deinde calidiores similiter, atque eadem ratione lucidiores tertio, motu agiles, actione. uehementißimi: quarto, solido stabiliqúe humore iugiter emanantes, actioni diutißime seruiunt. Tali autem animus nostr obsequio fretus indagat uehementer, perseuerat inuestigando diutius. Facile quæcunque inuestigauerit, inuenit, clare perspicit, syncerè dijudicat, ac diu retinet iudicata. Adde quod quemadmodum in superioribus significauimus, animus instrumento siue incitamento eiusmodi, quod centro mundi quodammodo congruit, atque (ut ita dixerim) in suum centrum animum colligit, semper rerum omnium & centra petit, & penetralia penetrat. Congruit insuper cum Mercurio atque Saturno, quorum alter omnium Planetarum altißimus, inuestigantem euehit ad altißima. Hinc philosophi singulares euadunt, præsertim cum animus sic ab externis motibus atque corpore proprio seuocatus, & quàm proximus diuinis, diuinorum instrumentum efficiatur. Vnde diuinis influxibus oraculisqúe ex alto repletus, noua quædam inusitatáque semper excogitat, & futura prædicit. Quòd non solum Democritus atque Plato affirmant, sed etiam Aristoteles in Problematum libro, & Auicenna in libro Diuinorum, & in libro de Anima confitentur. Quorsum hæc de atræ bilis humore tam multa? Vt memineriimus, quantum atra bilis, immo candida bilis eiusmodi quærenda & nutrienda est tanquam optima, tantum illam quæ contrà se habet, ut diximus, tanquam peßimam esse uitandam. Adeò enim dira res est, ut malo dæmone eius impetus instigari Serapio dixerit, & Auicenna sapiens non negauerit.

Quinque præcipuè studiosorum hostes, scilicet, Pituita, Atra bilis, Coitus, Satietas, Matutinus somnus. Cap. 7.

VT autem redeamus illuc unde iam longius digressi sumus, longissima uia est quæ ad ueritatem sapientiámque perducit, grauibus terræqúe marisqúe plena laboribus. Quicunque igitur hoc iter aggrediuntur, ut poeta quispiam diceret, sæpe terra mariqúe periclitantur. Siue enim mare nauigent, continuè inter fluctus, id est humores duos, pituitam, scilicet, & noxiam illã melancholiam, quasi inter Scyllam Charybdimque iactantur. Siue terra (ut dixerim) iter agant, tria monstra protinus sese illis obijciunt. Primum terrena Venus, secundum Bacchus & Ceres, tertium nocturna Hecate frequenter opponit. Ergo et Apollo ab æthere, et Neptunus ab æquore, & à terra Hercules sæpe uocandi, ut monstra eiusmodi Palladi inimica, iaculis Apollo transfigat, Neptunus tridente domet, claua Hercules contundat & laceret. Primum quidem monstrum est uenereus coitus, præsertim si uel paulum uires excesserit: subito nanque exhaurit spiritus, præsertim subtiliores, cerebrúmque debilitat, labefactat stomachum atque præcordia, quo malo nihil ingenio aduersius esse potest. Cúr nam Hippocrates coitum comitiali morbo similem iudicauit? nisi quia mentem, quæ sacra est percellit, tantúmque obest, ut Auicenna in libro de Animalibus dixerit, Si quid spermatis suprà quàm natura toleret, coitu profluat, obesse magis, quàm si quadragies tantundem sanguinis emanârit, ut non iniuria prisci Musas atque Mineruam uirgines esse uoluerint. Huc Platonicum illud spectat,

Coitus spiritus exhaurit subtiles

cum

ciam Venus Musis minitaretur, nisi sacra uenerea colerẽt, se contra illas suum filiũ armaturam. Respondẽrũt Musæ, Marti, ò Venus Marti talia minitare: Tuus enim ĩter nos Cupido non uolat. Deniq; natura nullum sensum longus quàm tactum ab intelligentia segregauit. Secundum monstrum, est uini cibiq; satietas. Quippe si uinum uel nimiũ uel nimis calidum uehemẽnsq; fuerit, caput ipsum humoribus pessimisq; fumis implebit. Mitto quod insanos facit ebrietas. Cibus uerò nimius, primum quidem ad stomachum, in ipso coquẽdo omnem naturæ uim reuocat. Quo fit, ut capiti simul speculationiq; intendere nequeat. Deinde inepte coctus, multis et crassis uaporibus humoribusq; aciem mentis obtundit. Quinetiam si satis coquatur, tamen ut Galenus ait, animus adipe et sanguine suffocatus, cœleste aliquid peruidere non potest. Tertium deniq; mõstrum est, ad multã noctem, præsertim post cœnã frequẽtius uigilare, unde etiam post ortum Solis dormire cogaris. Quoniam uerò in hoc errant fallunturq; studiosi per multi, idcirco quantum ingenio noceat, latius explicabo, atq; rationes septem præcipuas afferam: Primam ab ipso cœlo, Secundã ab elementis, Tertiã ab humoribus, Quartam ab ordine rerum, Quintam à natura stomachi, Sextã à spiritibus, Septimam à phantasia deductas. Principio, tres Planetæ, quẽadmodũ in superioribus dicebamus cõtemplationi et eloquentiæ maxime fauent, Sol, Venus, atq; Mercurius. Hi uerò paribus fermè passibus cõcurrẽtes, aduentante nocte nos fugiũt, die uerò uel propinquãte, uel iã surgente resurgũt, nosq; reuisunt. Post uerò solis ortũ in plagam cœli duodecimam, quæ carceri tenebrisq; ab Astronomis assignatur repente tradũtur. Ergo nõ qui

Satietas obest literatis

Cibis ad obrutus animus nihil tenue parit.

Animus adipe & sãguine suffocatus cœleste nihil peruidet

uel nocte quando nos fugunt, uel die post solis ortũ, quã do carceris tenebrarúmq; domum intrant, sed qui uel pro pemodum petentibus ortum, uel iam surgentibus ad con templandum scribendúmq;, ipsi quoq; consurgunt, ij soli acutißimè speculantur, & eloquentißime inuenta sua scri bunt atque componunt. Ratio secunda, scilicet ab elemen tis est talis: Oriente sole mouetur aer, tenuatúrq; & cla ret: occidente uerò contrà. Sanguis autem & spiritus, mo tum qualitatémq; aeris circumfusi, naturáq; similis sequi necessariò compelluntur. Tertia ratio, quæ ab humoribus ducitur, est eiusmodi: In aurora mouetur sanguis, & re gnat, motúq; tenuatur & calescit & claret, spiritus uerò sanguinem sequi imitariq; solent. Verum accedente nocte melancholia illa crassior & frigidior, atq; pituita domi nantur, quæ spiritus ad speculandum ineptißimos procul dubio reddunt. Quarta, quæ trahitur ab ordine rerum, hæc erit: Dies uigiliæ, nox somno tributa est. Quoniã cũ sol uel ad hemisphærium nostrũ accedit, uel super ipsum incedit, radijs suis meatus corporis aperit, atq; à centro ad circunferentiam humores spiritúsq; dilatat, quod qui dem ad uigiliam actiones q; excitat atq; cõducit. Cõtrà ue rò quando recedit, omnia coarctãtur, quod naturali quo dam ordine inuitat ad somnum, maxime post tertiam aut quartam noctis partem. Quisquis igitur manè quidẽ dor mitat, quando sol mundus q; excitat, ad multam uerò no ctem uigilat, qñ natura dormire iam, et à laboribus quie re iubet, hic absq; dubio cũ ordini uniuersi, tũ sibijpsi re pugnat, dũ cõtrarijs simul motibus pturbatur atq; distra hitur. Sanè dum ab uniuerso mouetur ad extima, ipse sese mouet ad ĩtima. Atq; cõtra, dũ ab uniuerso ad ĩtima tra-

Aer à sole tenuatur

Aurora studijs ami ca

Dies uigi= liæ, nox sõ no dicata

hitur, ipse se interim retrahit ad externa: Ergo peruerso ordine motibúsque contrarijs, tum corpus totũ, tum spiritus ingeniúmque prorsus labefactatur. Quinto loco a natura stomachi in hunc modũ argumentamur: Stomachus diuturna diurni aeris actione, apertis poris admodũ dilatatur, euolantibúsque spiritibus tandem ualde debilitatur. Igitur subeunte nocte, nouã spirituum copiam exigit, qua foueatur. Quapropter quicunq; eo tẽpore contemplationes longas & difficiles inchoat, ipsos ad caput spiritus retrahere nititur. Hi uerò distracti neq; stomacho satis, neq; capiti faciunt. Maxime uerò nocet, si post cœnã lucubrantes, diu eiusmodi studijs attentius incũbamus. Pluribus. n. tũc ad cõcoquendũ cibũ spiritibus, multóq; calore stomachus indiget. Hæc uerò duo, lucubratione studióq; tali diuertũtur ad caput. Quò fit, ut neq; cerebro, neq; stomacho suppetãt. Adde qd' caput ob eiusmodi motũ, craßiori bus cibi repletur uaporibus, atq; cibus in stomacho à calore & spiritu destitutus, crudescit & putret, unde rursus caput opplet atq; lædit. Deniq; matutinis horis, quando surgendũ est, ut excrementis omnibus somno retentis singula mẽbra purgentur, tũc id quod peßimũ est, qui nocte lucubrãdo concoctione penitus interruperat, idẽ dormiendo manè excrementorũ expulsionem diutius impedire cõpellitur. Quod quidẽ tam ingenio quàm corpori, medicis obesse quamplurimũ arbitrãtur. Meritò ergo qui nocte contra naturã pro die, atq; cõuerso, die rursus pro nocte utuntur, tanquàm noctuæ, ij etiã in hoc uel inniti noctuas imitantur, ut quẽadmodum illis sub solis lumine caligant oculi, ita & ijs mẽtis acies sub ueritatis splẽdore caliget. Sexto loco à spiritibus idẽ ita probatur. Spũs fatiga

Lucubratio nocturna studijs inimica

Excrementorum tarditas perniciosa.

tione diurna præsertim subtilißimi quique denique resoluuntur: Nocte igitur pauci crassiq; supersunt, literarũ studijs ineptißimi, ut non aliter mancis horum fretum alis ingenium uolare posßit, quàm uespertiliones atq; bubones. Contra uerò post somnum manè spiritibus recreatis, mẽbrisque adeò corroboratis, ut minimo spirituum adminiculo egeãt, multi subtilésq; spiritus adsunt qui cerebro seruiant, atq; expeditius obsequi possunt, in mẽbris fouendis regendisq; parũ admodũ occupati. Postremo septima ratio, sic à phantasiæ natura deducitur. Phantasia, siue imaginatio, siue cogitatio, seu quouis alio nomine nuncupãda uidetur, multis, longis contrarijs in uiglãdo imaginibus, cogitationibus, curisq; distrahitur atque turbatur. Quæ quidẽ distractio perturbatioq; sequẽti contẽplationi tranquillam serenamq; mentem penitus postulanti, nimiũ contraria est. Sola uerò nocturna quiete, agitatio illa sedatur tandẽ atq; pacatur. Igitur accedẽte quidem nocte semper turbata mente: recedente uerò, ut plurimũ mente tranquilla ad studia nos confirimus. Quicunq; uerò mente nimiũ agitata res ipsas iudicare conantur, ij non aliter quàm illi qui uertiginẽ patiuntur, oĩa uerti putant (ut Plato inquit) cum ipsi uertantur. Quãobrem scite Aristoteles in Oeconomicis iubet ante lucẽ surgere, asseritq; id & ad corporis sanitatẽ, & ad philosophiæ studia prodesse quamplurimũ. Sed hoc ita accipiendũ est, ut cita & modica cœna matutinã cruditatẽ diligentiß. deuitemus. Deniq; facer ille uates Dauid, oĩpotentis tuba Dei, nunquã dicit uespere, sed manè semper atq; diluculo in deũ suũ canendũ se cithara psalmisq; surgere. Surgere quidem mente ea hora oĩno debemus, mox ẽt corpore, si modoid cõmode fieri posßit.

Authoribus legendis hora accommodata

Quæ sit hora inchoandis studijs opportunior, quisue continuandi modus. Cap. 8.

EX ijs quæ in superioribus disputata sunt, fermè iam satis constat, opportune nostra nos studiâ exordiri, uel statim oriente Sole, uel hora una saltem, uel duabus ad summũ ante solis exortum. Sed antequàm è lecto surgas, perfrica parumper suauitérque palmis corpus totum primo, deinde caput unguibus, sed id paulò leuius. Hac in re te Hippocrates admoneat. Nã frictione, inquit, si uehemẽs sit, durari corpus: si leuis, molliri: si multa, minui: si modica, impleri. Cum è lecto surrexeris, noli subitæ lectioni meditationique prorsus incumbere, sed saltem horæ dimidium cuilibet expurgationi concedito, mox meditationi accingere diligenter, quam ad horam circiter unam pro uiribus prorogabis. Deinde remittes parumper mentis intentionem, atq; interim eburneo pectine diligenter & moderate pectes caput, à fronte ceruicem uersus quadragies pectine ducto. Tum ceruicem panno asperiori perfrica, demum reuersus ad meditandum, duas insuper horas, aut saltem horam unam studio dedicato. Produci uerò nonnunquàm studia possunt, sed aliquanta interdum intermißione facta, ad horam usque meridianam. Quin etiam interdum quãuis raro, nisi cibum interim cogamur assumere, post meridiem circiter horas duas. Sol enim circa ortum potens est, potens & in medio cœlo. In Plaga quoque illa cœli, quæ medium proxime sequitur, quã nonam Astronomi uocant, & sapientiæ domum, Sol maxime gaudet. Quoniam uerò poetæ omnes Phœbum Musarum sciẽtiarumq; ducẽ esse uolunt, meritò si quid altius excogitandum est, h s horis potißimũ cogitetur. Si musæ

Lucubrationibus aptũ tẽpus.

Hippoc. in eo lib. quẽ κατιητρεῖον ĩscripsit

Capitis pectendi ratio literatis obseruãda.

Phœbus sciẽtiarum dux.

quærendæ, horis iisdem Phœbo duce quærãtur. Reliquæ enim horæ, ueteribus alienisq; legendis potius quàm nouis proprijsque excogitandis accõmodatæ uidentur. Semper autẽ meminisse debemus, qualibet hora semel saltem paulisper remittendam esse mentis intentionem. Quum enim ob intentionem huiusmodi spiritus resoluantur, meritò si nunquàm cesses tendere, lentus eris. Dum laboras animo, interim corpore conquiesce. Mala est defatigatio corporis, peior animi, utriusque simul peßima, oppositis hominem motibus simul distrahens, uitámque dispердẽs. Denique haud ulterius meditatio procedat quàm uoluptas, potius uerò citrá.

Remittenda mentis intentio.

Vitandæ pituitæ præcepta. Cap. 9.

OPeræpretiũ fore uidetur, quæ noxia literatis esse diximus repetere breuiter, atq; remedia singulis adhibere: Ergo ne pituita nimis augeatur, exercitatione quotidie stomacho fermè uacuo bis utendũ, nunquàm tamen laborioſa, ne acuti spiritus dissoluantur, excrementa diligentiß. ab oĩbus meatibus expurganda. Sordes a corporis totius cute, capitis præcipue, tum lotione, tũ frictione penitus abstergendæ. Vitanda alimẽta frigida nimiũ, atq; nisi obstiterit atra bilis, etiã humida, & omnino quæ pinguia, uirulẽta, uiscoſa, uncta, glutinosáq; sint, uel quæ facile putrescere soleant. Si stomachus, uel natura uel ætate sit frigidus, aut dimittẽdus omnino, aut certè minuendus aquæ potus. Moderatus cibus sit oportet, sed potio moderatior. Habitatio alta à graui nubiloq; aere remotiß. tũ ignis, tũ calidi odoris usu humiditas expellẽda. Prohibẽdũ frigus à capite, maxime uerò ceruice atq; pedibus: multum. n. obest ingenio. Prodest moderatus usus aroma-

Frigida alimenta uitanda.

tũ in frigidioribus epulis, nucis muſcatæ præſertim, et cinnamomi, et croci, zinziberis quoq; cõditi mane ſtomacho uacuo, quod ſenſibus etiã & memoriæ maxime prodeſt.

Qua ratione uitanda ſit atra bilis. Cap. 10.

Atram bilem augentia

PEßimam uerò illam quã in ſuperioribus deteſtibamur atram bilem, hæc augent: Craſſum turbidumq; uinum, præcipue nigrũ, cibi duri, ſicci, falſi, acres, acuti, ueteres, uſti, aßi, fricti, carnes bouis, & leporis, caſeus uetus, ſalſamẽta, legumina, præcipue faba, lenticula, melõgia, eruca, braßica ſinapis, radicula, alliũ, cæpa, porrum, mora, cariotæ, & quæcunq; calefaciunt uel frigefaciũt, ſimulatq; deſiccant, & omnia nigra: Ira, timor, miſericordia, dolor, ociũ, ſolitudo, & quæcunq; uiſum et olfactum auditumq; offendunt, omniũ uerò maxime tenebræ. Præterea exiccatio corporis nimia, ſiue longis nata uigilijs ſiue multa mentis agitatione uel cura, ſeu frequẽti coitu, uſuq; rerum calidarum multũ, atq; ſiccarum, ſeu immoderata quadã deiectione atq; purgatione, uel exercitatione laborioſa, uel inedia, ſiti, calore, uel ſicciore uento, uel frigore. Cum uerò bilis atra ſemper ſiccißima ſit, frigida quoq;, licet non æque, huic certe reſiſtendum eſt, rebus qui dẽ modice calidis, humidis uerò quàm maxime, cibis elixis aßidue, qui coquãtur facile, & ſubtilẽ gignant ſanguinẽ atq; clariſſimũ. Sed interim ut ſtomachi & pituitæ ratio habeatur, perinde atque bilis atræ, epulæ cinnamomo, & croco, & ſandalis condiantur. Conferunt ſemina peponis, atque cucumeris, & pinei nuclei abluti. Conueniunt lacticinia omnia, lac, caſeus recens, amygdalæ dulces. Conueniunt carnes auium & pullorum gallinaceorum, quadrupedúmue lactẽtium, oua ſorbilia maxime, et

Atræ bilis qualitas et remedia

στρώβυλος

ex membris animalium, cerebellum, dulcia mala, pyra ꝑsica, pepones, pruna damascena, atq; similia: cucurbita rite cocta, herbæ humidæ, non uiscosæ: Cerasea uerò, ficus, uuas, minime laudo. Nauseam uerò et satietatem ualde detestor. Nihil autem aduersus hanc pestem ualētius est, quā uinum leue, clarum, suaue, odorum, ad spiritus præ cæteris perspicuos generandos aptißimum. Nam, ut Platoni & Aristoteli placet, hic humor, hoc uino non aliter mollitur atq; dulcescit et claret, quàm uel lupini aqua perfusi, uel ferrum flammis accensum. Verum quantum eius usus spiritibus & ingenio prodest, tantū nocet abusus. Præterea infundere aurum uel argentum maxime ignitum, eorumq́; folia in poculis, uel in ipso iure prodesse consentaneum est, atq; aureo uel argenteo uasculo bibere, cibosq́; sumere. Item perutile est: si sæpe stomacho uacuo liquiritiæ succus deglutiatur: succus quoq; punici pomi dulcis, atque dulcis arancei. Cōducunt nō mediocriter suaues odores, temperati maximè: at si regnat frigus, ad calidum declinantes: sin dominetur calor, urgentes ad frigidū. Temperādi sunt igitur ex rosis, uiolis, myrto, cāphora, sandalis, aqua rosacea, quæ frigida sūt. Rursus ex cinnamomo, citro, aranceo, gariophilis, mentha, melissa, croco, ligno aloe, ambra, musco, quæ calida. Verni flores ꝓsunt in primis, et folia citri siue arancei, odoraq́; poma, sed maxime uinum. Odores eiusmodi prout cuiq; conuenit, et naribus hauriendi sunt, & pectori atq; stomacho admouēdi. Odores uerò calidos multum siccosq́;, si soli fuerint & continui non probamus. Tenendus ore hiacynthus, qui animū uehemēter exhilarat. Hierobotana quoq;, id est sclarea syluestris, tum cibo tum odore confert. Buglossa rursus, bo-

Vinū quale studiosis conueniat

rago, melissa, horumq; trium aqua. Rursus, lactuca, endi
uia, una passula, lac amygdalinũ, mẽsæ familiarissima esse
debent. Fugiendus aer, aut feruens, aut glacialis nimium, Aer tẽpe-
aut nubilus, sed aer temperatus serenusq; liberrime ad- ratus sere-
mittendus Mercurius Pythagoras, Plato iubent dissonan nusq; stu-
tem animum uel mœrẽtem cithara, cantuq; tam constanti dios is usui
quàm concinno componere, simulatq; erigere. Dauid au-
tem poeta sacer psalterio psalmisq; Saulem ab insania li-
berabat. Ego etiam (si modo infima licet cõponere sum-
mis) quantum aduersus atræbilis amaritudinem dulcedo
lyræ cantusq; ualeat, domi frequenter experior. Lauda- Aquæ niti
mus frequẽtem aspectum aquæ nitidæ, uiridis rubeiue co dæ aspe-
loris, hortorum nemorumq; usum, deambulationem secus ctus studio
flumina, perq; amœna prata suauem, equitationẽ quoq;, sos re-
gestationem, nauigationemq; lenem ualde probamus, & creat
uarietatẽ in primis. facilesq; occupatiões, diuersaq; nego
cia nõ molesta, assiduã hominũ gratiosorũ cõsuetudinem.

De curatione stomachi. Cap. 11.

SEquitur ut curã stomachi quã diligenter habeamus, Cibus qua
ne nauseam cruditatẽmue adducat unquam satietas, lis & quo
capútq; offendat. Bis cibus quotidie sumendus est, et modo stu-
modicus atq; leuis, Cinnamomo, mace, nuce muscata mo- dioso sit
derate cõditus. Semper tamen siccus cibus pondere alimẽ ex usu
ta mollia potũq; exuperet, nisi forte atræ bilis siccitatẽ ad
modũ uereamur. Famẽ (si cõmode fieri potest) cibus, si-
tim potus expectet. Auiditas utriusq;, superfit mẽsæ. Fasti
diũ et saturitas procul absint. Abstinẽdũ ab ijs quæ ob ni-
miã humiditatẽ uel uirulẽtã & unctã uiscosamq; materiã
stomachũ relaxando debilitãt, uel etiã frigida aut calidissi
ma sunt, aut propter duritiã ægre coquuntur. Et quæ talia

sunt, ut diu post mẽsam palato saporẽ reddãt molestiorẽ, siue inflent, siue caput multis uaporibus impleant, ab omnibus in primis quæ facile uel extra aluũ, uel in aluo putrescãt. Dulces sapores, aut acres si soli sint, nullo pacto probamus: sed dulces acri quodã uel acuto uel sicco uolumus tẽperari. Mastix & mentha sicca, saluia recens, uuæ passulæ, cydonia poma cocta, cõdita saccharo, cicorea, rosa, corallus, lotus capparis, & aceto conditus, stomacho amicissima sunt. Mala præterea punica sapore inter acidũ dulcẽq; medio, & omnino quæcunq; moderate acida sunt & aliquãtulũ austera, quæ medici styptica uocãt, siue quæ aliquantũ acuta sint uel falsa uel aromatica: Myrobalani aũt omnia superant. Vinũ quoq; rubeũ potius quam album, sapore quasi paululum subamaro, ac nisi caliditas uel destillatio aliter postulauerit, optimũ erit merũ bibitũ paulatim. Oĩno aũt liquidiores epulæ prius sumẽdæ quã duriores. Sumpto uerò cibo cõuenit, coriãdrũ, pomumq; cydoniũ cõditum saccharo, mala punica, & pyra austera, mespila quoq; & persica sicca, atq; similia. Mandere uerò oportet antequã deglutiãtur, singula exactissime. Fouẽdus stomachus si oportet extrinsecus, mastice, rosa, mentha, corallo. Cauendum ne post cibum, duabus aut tribus proximis horis uel cogitationi difficili, uel lectioni sedulò incũbamus. Necessariæ forsitã erũt horæ uacationis quatuor, si cibus potúsue uberior fuerit, aut cibus durior. Malũ est cibo potúue uẽtrẽ extẽdere, pessimũ stomacho sic extẽto, difficilia cogitare. Aut igitur nutrimẽtũ sume le uissimũ, aut sũpto, uaca donec quasi cõcoxeris. Neq; dormiẽdũ post cibũ meridie, nisi maxĩa cogat necessitas, atq; id quidem nõ prius quàm horas duas uiglaremus. Nocte

Acrida & styptica cõfortant stomachum

Cibo sumpto nõ ꝓtinus lucubrandum

tamen sumpta cœna, hora, ut uidetur, una uigliæ sat est.
Coitus stomacho pestilens, præsertim si uel saturo statim, uel esuriente concumbas. Ocio mœret stomachus, exercitatione gaudet, nisi dum cibo sit plenus. Sumpto cibo statim modice deambulandum, mox uero sedendum.

Cœna sumpta hora una uigliæ sat est.

De ijs quæ fouēt mēbra præcipua & uires spūs. c. 12.

SEd iam operæpretium facturus, ut nonnulla ex medicorum officina in medium producamus, quæ stomachi, cordis, cerebri, spirituū, ingenij, uires uel seruent integras uel restituant, ac si uel pituita, uel atra bilis excrescat, uel immineat nausea, longè propellant. Omnes sine controuersia medici consenserunt, nihil esse salutarius theriaca, fouendis confirmandisq; tum singulis membris & uiribus, tum spiritibus atque ingenio. Huius igitur in primis utemur drachma dimidia, aut saltem drachmæ tertia parte, bis qualibet hebdomada hyeme & autumno: Sed æstate atque Vere semel uel sola, uel si placet frigidis humidisque temporibus cum pauculo mero claro, suaui: temporibus uerò calidis siccisque, præsertim si natura uel ætas sit calidior, cum aquæ rosaceæ duabus uncijs aut tribus, stomacho scilicet uacuo, sex aut septem horis ante cibum. Si theriaca desit, dabimus mithridatum. Sed ubi theriacam mithridatúmue sumimus, eo die ab omni re calida penitus abstinendum, & si æstas aut uer fuerit, frigidis est utendum. Secundo uerò loco eadem in causa probatur ab omnibus aloe rite electa atq; lota. Sume myrobalanorum chebulorum drachmas duas, rosarum purpurearum, sandali rubei, emblicorum, cinnamomi, croci, corticis pomi citri, beem, melissæ, id est citriæ, singulorū drachmam unam, aloes electæ ritéq; ablutæ drachmas

Pilularum confectio.

duodecim. Ex ijs cõfice pilulas optimo mero, quibus hebdomada qualibet semel utaris diluculo, eo. s. põdere, quod naturæ tuæ conueniat: æstate quidem cum aqua rosacea, alias uerò cum uino. Quibus autem diebus neque theriacam, neq; pilulas assumes, utere confectione eiusmodi manè, atque uespere duabus aut tribus ante cibum horis. Sume cinnami electißimi drachmas quatuor, chebulorũ myrobalanorum duas, & totidem emblicorum, croci, rosarũ drachmã dimidiam, sandalorum rubrorũ drachmas duas, corallorumq; similium drachmam unam, sacchari albißimi quantum satis est. Funde saccharum aqua rosacea, atq; succo citri uel limonum, æqualibus uidelicet portionibus, coquas suauiter. Deinde adde muſci tertiã drachmæ partem, atque ambræ tantundem. Demum confice bolos solidos, quos morsulos uulgo nominãt, auroq; inuolue. Tria hæc, ipsi eo usu quo præscripsimus, experti sumus. Theriacam & aloen, ita, ut diximus, temperatam, cõfectionemq; illã singulis conferre mẽbris, uiribus & spiritibus, acuere sensus atque ingenium, memoriam confirmare. Pituitam quoque & bilem atque atram bilem illis pilulis facile uel educi uel emendari. Præterea ætati cuilibet & naturæ, tria quæ diximus familiarißima iudicantur.

Aloe efficacia.

Aloeticæ pilulæ.

Pharmaca pituitæ repreßiua atque eductiua. Cap. 13.

SI aduersus exundantem pituitam acrius pugnandum fuerit, pilulas aurora ex Hiera picra Galeni, uel quas Mesue Elephangnas nominat, dabimus scilicet quot & quoties oportuerit, uel etiam in robustiore natura pilulas ex hiera, atque trochiscis agarici pari portione compositas: semper uerò cum melle rosaceo liquido atque oxymelle aquáque marathri, id est fœni

Catarrhi remedia.

culi. Qui certè syrupus in pituita digerenda etiam ante pilulas atque post eas maximè prodest. Si unà cum pituita cæteri quoque humores turbent, pilulis ex Reubarbaro Mesues, uel pilulis quæ sine quibus, a posterioribus nuncupantur, opportune purgabimus. Omnem uerò uehemẽtem repẽtinamq; deiectionem purgationemq; penitus detestamur. Nam stomachum corq; debilitat, spiritus multos exhaurit, confundit humores, spiritus fumis humorum fuscis obtenebrat.

Catarrhi & destillationis, communis studiosorum pestis remedia. Cap. 14.

VBi caput propter pituitã destillationibus fluctuat, quandoque hora somni aliquot ex pilulis quas modo descripsimus, dabimus. Iubebimus præterea ea hora & alijs thus sæpe mandere: nam mirifice destillationibus & sensibus omnibus memoriæq; succurrit. Rursus muscata nux, & theriaca ore retenta probatur. Maiorana quoque, quam amaracum nominant, uel eius aqua admota naribus uel infusa. Post cibum uerò alimentorum fumos coriandro, cydoniisque coercebimus.

De dolore capitis. Cap. 15.

SI caput sæpe doleat humore grauatum frigido, præter illa quæ narrauimus, confectionem illam quam Diambram nominant, uel Diacori, uel Pliriſar coti cõ tenere ere iubebimus. Quinetiam mastichen sæpe mãdere. Præterea linire frontem, tempora, ceruicem, maiorana, fœniculi, rutæ foliis unà cũ oleo rosaceo tũsis similiter aloe, aceto, oleo, aquáque rosaceis perfecte diluta.

Visus caligantis medelæ. Cap. 16.

VBi oculi caligant, neq; rubent tamen, neque aliud præbent ullum caloris indicium, tunc sanè collyrium ex aqua fœniculi, maioranæ, chelidoniæ, rutæ adhibito croco & antimomo, cõfert. Sed aqua eiusmodi prius densiori panno est exprimenda. Nihil tamen admoueas oculis, nisi antea pilulis Lucis sæpe purgaueris. Ac si caligantes oculi rubeãt, subito pilulis ex fumo terræ compositis purga. Mox collyrium ex aqua rosacea & sacharo prodest. Nonnunquam uerò albumine oui, tutia, lacte adiectis quamprimum opitulatur. Omnino autẽ quotidianus usus marathri uisum seruat & acuit. Semen quidem eius frequẽter ore tenere oportet, folia uerò comedere. Tryphera minor à Mesue descripta, optima est, Optimum quotidie uacuo stomacho myrobalanum, chebulã conditam sumere, atque cum ea nonnihil panis ex saccharo, marathróque in puluerem ducto compositi, quod insuper ingenio mirum in modum, ac producendæ uitæ prodest, Eufrasiæ quinetiam usus, oculis est singulare præsidium. In omni uel dolore capitis, uel caligine oculorum, diuertẽdi sunt retro uapores frictionibus cucurbitulisq;. Ac si calor in causa sit, sanguisq; abundet, hirundines cer uici & humeris adhibebimus.

Eufrasia oculis singulare præsidium.

De sensorio gustus instaurando. Cap. 16.

STomachus sæpe literarum studiosis gustũ ferè oẽm omittit: Si id pituitæ uitio incidit quod acidus oris sapor, uel saliua multa & glutinosior indicat, postquã aluũ subduxeris medicinis, quas supra narrauimus, aromatico rosaceo utere. s. saccharo rosaceo miste, melle quoq; rosaceo cũ cinnamo: solo ẽt uel gingibere cõdito, uel mẽthæ syrupo. sed in primis theriaco. Sin aũt bilis copia forte cõ-

tingit, qd' quidē os amarū ostendere solet, Similiter post purgationē ex Aloe, sicut diximus, præparata, uel Reubarbaro adsume, uel Triasandalū, uel oxysaccharū. saccharo, aceto albo, & uino acrioris punici mali, cōpositā, uel pfica, pyráue, siue cōdita, siue syrupo cōfecta, sicut Mesues docet, uel nostrā eiusmodi cōfectionē gestui saluberrimā. Sume sacchari rosacei uncias quatuor, diamarēati uncias duas, diacytonites tantundem. s. uncias duas, myrobalanorum chebulorum semunciam, emblicarum tantundem, sandali rubei, coralli rubri, utrorunq; æqua drachmam dimidiam. Funde insuper Iuleb ex succo citri uel limonis uncias treis aut duas. Quod si stomachus debilis est, et frigidus, adijce duas cinnami drachmas. His añ cibū duabus horis utendum. Nauseam semper ab utroq; natam humore tollit diacytonites, & usus capparis cum aceto. Item potus modicus ieiuno stomacho albi aceti rosacei, si duplo sacchari pondere misceatur. Rursus menthæ syrupus atque absynthij. Item mentha uel aceto condita, uel acido mali punici succo diluta atq; rigata.

Exquisitißima atræ bilis remedia. Cap. 18.

VErum missa hæc tanquam leuiora iam faciamus, atque ad id quod periculosißimum est, reuertamur, ad atram bilem scilicet, quæ quoties abūdat & furit, cum corpus totum tum uel maxime spiritum quasi quoddam instrumentum ingenij, ipsumque ingenium & iudicium labefactat. Primum in ea curanda præceptum sit, ut docuit Galenus, ne repente illam educere contendamus, ne forte eius parte liquidiore subtilioréque subducta, residuum densius admodum, sicciúsque resideat, sed paulatim molliatur digeratúrque pariter atque

educatur. Secundum, ut interim tam cibis humidioribus, quàm lauacris dulcibus & modicis, unguentisq; similibus caput & corpus totum ad summum pro uiribus humectetur, ea tamen cautione, ne uel destillatio irritetur, uel destruatur stomachus aut iecur, uel meatus corporis obstruantur. Tertiũ uerò, et id quidẽ maxime necessariũ, ut continue cor foueatur, roboreturq; rebus congruis partim intus acceptis, partim extrà pectori naribúsue adhibitis. Aspiciantur quoq; & audiãtur, odorẽtur, et cogitẽtur assidue quæ oblectent. Contraria uerò longius arceantur.

Confortatiua studiosis necessaria

Syrupi melancholicis maximo futuri commodo. Cap. 19.

MVlta quidem à multis, aduersus hunc humorem composita sunt. Ego autem in præsentia tria quædam remediorum genera è plurimis adferã electissima omnium atq; tutissima, accepta primum à prioribus, deinde à recentioribus confirmata, interdum etiam à nobis ad usum nostrum accommodata. In primo est Syrupi optimi compositio. In secundo pilulæ probatissimæ. In tertio electuaria saluberrima. His tribus opportune adhibitis, melancholicus humor mollitur et digeritur atq; soluitur, spiritus acuuntur et illustrantur, fouetur ingenium, memoria confirmatur. Syrupus est huiusmodi. Sume boraginis, bugloſſæ, florumq; utriusq;, melissæ, capilloris Veneris, endiuiæ, uiolarum, cuscutæ, polipodij, senæ, epithymi, singulorum quantum manu capitur, pruna Damascena numero uiginti, odora poma numero decẽ, passularũ unciam unã, liquiritiæ unciã dimidiã, cinnami, sandali rubri, corticũ citri, singulorũ drachmas tres, croci drachmã dimidiã. Coquantur in aqua omnia præter epithymũ & aromata,

Melancholiam soluẽtia pharmaca

Memoriã tribus iuuari

et aromata, donec pars tertia cõsumatur. Decoctio expressa post, cũ saccharo iterum & epithymo moderate coquatur. Postremo infundantur aromata. ſ. cinnamũ atq; crocus. Huius syrupi aurora calefacti unciæ tres bibãtur, simúlq; unciæ duæ aut tres atq; buglossæ, atq; unà cũ ijs exsequẽtibus pilulis accipi dñt duæ saltẽ, aut plures, put cuique cõuẽit, eo. ſ. pacto ut aluus quotidie paulũ moueatur.

Pilulæ ad humores uitiosos molliendos & expurgandos. Cap. 20.

PILVlarum uerò quantum ad propositum spectat, duo sunt genera: aliæ delicatis congruunt, robustioribus aliæ. Primæ, aureæ siue magicæ nominari possunt: partim Magorum imitatione: partim nostra inuentione, sub ipso Iouis Veneris q; fluxu compositæ, quæ pituitam, bilem, atram bilem educunt absq; molestia, singula membra corroborant, spiritus acuunt et illuminant: Ita eos dilatant, ne constricti mœstitiam pariant, sed dilatatione & lumine gaudeant: Ita rursus stabiliunt, ne extentione nimia euanescãt. Sumè igitur auri grana duodecim, maxime foliorũ eius si pura sint, thuris, myrrhæ, croci, ligni aloes, cinnami, corticis citri, melissæ, serici crudi cocci nei, mẽthæ, been albi, been rubei, singulorum drachmam dimidiam, rosarum purpurearũ, sandali rubri, coralli rubri, myrobalanorum trium, scilicet emblicorum, chebulorum, Indorum, singulorũ drachmam unã, aloes rite ablutæ tantundem quantũ cunctorum pondus. Confice pilulas mero quàm electissimo. Sequuntur pilulæ ad soluendã melãcholiam aliquanto ualidiores, uerũtamẽ minime uiolẽtæ. Sume pæoniæ, myrrhæ, stœchados Arabici, melissæ, thuris, croci, myrobalanorum trium, scilicet emblicorum,

Pilulæ aureæ siue magicæ

chebulorum Indorum, rosarum, singulorum drachmam unam, trochiscorum agarici, polipodij, epithymi, sennæ, lapidis lazuli rite loti & præparati, lapidis Armeni effecti similiter, drachmas treis singulorum, aloes lotæ uncias duas, uino perfecto pilulas confla. Si cũ melancholia manifesta caliditas dominetur, quæ in hac compositione sunt frigida, ad tertiam insuper ponderis sui partem augenda erunt. Has pilulas ut literarum studiosis conuenit, Græcorum, Latinorum, Arabúmq; imitatione composui, nolui uerò fortiora miscere, quale ueratũ, quo Carneades fanaticus utebatur. Viris enim literatis tãtũ uel paulò firmioribus cõsulo, quibus nihil pestilentius est quã uiolentia: ideo prætermisi pilulas Indas, lapidis q; lazuli uel armeni notas, & quam cõpositionẽ hieralogodiõ appellant. Si deni que decet simpliciorẽ cõpositionẽ iserere, qua ego familiarius utor: Sume aloes lotæ unciã unã, myrobalanorũ emblicorũ atq; chebulorũ, utriusq; pariter drachmas duas, masticis drachmas duas, duas quoq; rosarum præsertim purpurearum, cõfice pilulas uino. Proinde pilulis aut ijs, aut illis, ex ijs scilicet quas probauimus, nemo unquàm solis uti debet, ne fortè nimium exiccetur: quod quidem in melancholia peßimum est, immo unà cum syrupo, quẽ secuti partim Mesuen, partim Gentilem Fulginatem, suprà descripsimus, uel cũ uini odori leuisque unc. una siue duabus siue tribus, ut cuiq; conuenit: Aut cum aqua mellis et passularũ atq; liquiritiæ: Aut sicubi caliditas dominatur, cũ Iuleb uiolaceo aquáq; uiolacea. Omnino autem consulo literatis, quicunq;, ad atrã bilem sunt proniores, ut hac purgatione bis quolibet anno, Vere scilicet autumnóque utantur, diebus quindecim continuis uel uiginti, pilulis. ſ.

cum syrupo atque similibus. Quicunque uerò paulò minus huic morbo obnoxij sunt, sat habebunt si pilulas primas aut ultimas toto anno sumãt, semel hebdomada qualibet, æstate quidẽ cũ luleb, ut diximus, alias uerò cũ uino.

A liquidarum medicinarum usu medelæ. Cap. 21.

MEminisse uerò oportet, ubi maximum in exiccatione periculum imminet, purgare tamen necessitas cogit, operæpretium esse pilulas intermittere, atque in ipso syrupo uel simili quadam decoctione. facta in aqua buglossæ, quando purgandum est, interdum infundere diasenæ, uel diacatholiconis, uel Trypheræ persicæ unciam unam, aut saltem dimidiam. Quod si uel corpus robustius sit, uel astrictior & durior aluus addere electuarij Hamech drachmam unam aut duas. Vtilis quoque hic est confecta Casia, utilior Mãna. Nec omni melancholiæ speciei conueniunt, sed illi maxime quæ adustione creatur. Sin autem melancholia naturalis sit, conueniunt quidem, uerum præcipue si in syrupo addatur polipodij portio dupla uel tripla, similiter liquiritiæ crociq; & passularũ. Item medicinæ addantur mellis rosacei liquidi unciæ duæ. Quoties uerò syrupus sumendus sit, in superioribus diximus. Sed medicina cum ipso ter uiginti diebus sumenda erit. Verum si melancholicus nullus humor appareat, tantum uerò complexio melancholica, scilicet frigida mẽbrorum qualitas atque sicca, memento ducere aliquid uel mittere sanguinem minime expedire, sed reliqua duntaxat facere, quæ uel diximus, uel dicemus: præsertim quæcunq; ad corpus pertinent, mediocriter calefaciendũ, atque magnopere humectandum, spiritúsque quoad fieri potest illuminandos, fluendáque membra. Vbi uerò ipse

Medicinæ liquidæ.

Melãcholicus humor ĩueteratus & solendus.

atræ bilis humor exundat, non maleſacimus tantum corpus atque humorem, ſed etiam ſoluimus aluum ea cautione qua diximus. Nunquàm uerò uehementer. Siquidē Plato in Timæo nos monet, diuturnum morbum, qualis eſt melancholicus, non eſſe nimis ualentibus medicamentis atque moleſtis pharmacis irritandum.

Sanguinis mittendi Canones. Cap. 22.

Copioſioris ſanguinis notæ.

SVnt nonnulli in ſanguine mittendo audaciores, quos medici ſapiētes admodum deteſtantur. Nam ſanguis eſt atræ bilis temperamentum, ſpiritus fomes, uitæ theſaurus. Solum uerò ubi abundantiam ſanguinis indicat uel profuſior riſus, audaciáque & confidentia multa, uel color rubens, uenarúmque tumor, mittere ſanguinem literatis quando res poſtulat, debemus è uena lienis ſiniſtri brachij, lata quidē inciſione, quatuor uncias manè ueſpere totidem. Deinde paucos poſt dies ſaltē ſeptem, ad ſummum quatuordecim, tum frictione quadam aſperiore, tū admotis hirundinibus, quas Sanguiſugas nominant, mariſcas irritare, ut ſanguinis unciæ tres aut quatuor inde deſtillent. Hæc ambo robuſtioribus tantum facienda uidentur. Debilioribus uerò, ſi neceſſitas poſtulat, mariſcas ſolum ſicut docuimus, irritare. Sed neque uentrem medicinis ſoluere, neque mittere ſanguinem licet, niſi prius clyſteribus pinguibus mollibúſque lenieris. Atque hoc ſit in melancholica natura commune præceptum, dandam eſſe operam, ut ſi oportuerit, eiuſmodi clyſteribus frequētatis uenter inferior lubricus ſemper ſit atque purgatus.

Sanguinis abundātioris notæ.

Sanguinis utilitas.

De electuarijs & confectis.
Cap. 23.

SEquuntur electuaria, ex quibus laudo equidem quod Rasis, Exhilarans appellauit. Præterea quæ in lib. De uiribus cordis Auic. componit, sed multo magis quod Mesues ita cõscribit: Sume crudũ sericũ colore coccineo nuper tinctum, pondere librã unam: id merge succo pomorũ dulcium & suauiter redolentium, atque succo bugloſſæ, aquáque roſacea, ſingulorũ libra una, poſt quatuor & uiginti horas, totũ id coque ſuauiter, donec aqua rubeat. Deinde extrahe ſericũ, atque inſuper exprime diligenter. Infunde mox ſacchari candidiſs. centum & quinquaginta drachmas, coque rurſus, donec quaſi mel ſpiſſetur: Amoue tũc ab igne, atque infunde dum calet, ambræ crudæ diligenter conſciſſæ drachmas ſex, ut liqueſcat ambra, permitte. Poſtremo adde his puluerem eiuſmodi: Sume ligni aloes crudi, cinnami, utriuſque æque ſex drachmas, lapidis lazuli rite abluti drahmas tredecim, unionũ, ideſt albarũ margaritarum drachmas duas, auri ueri drachamam unam, muſci electi partem drachmæ dimidiam. Dantur ex eo cũ uino drachmæ duæ uel una, manè ac ueſpere ante cibũ tribus aut quatuor horis. Id mihi præ cæteris ualde placet. Veruntñ probo etiã diamuſcũ Meſues dulcẽ, cõpoſitionemq; gẽmarum, modo cum aqua roſacea adſumãtur. Laudarẽ quoque mirificè qd' eſt à Petro Ebanẽſi philoſopho ſummo conflatũ, niſi ipſimet ex eius ĩmo dico uſu dilationẽ exhalationemq; ſpirituũ nimiam formidaret. Quamobrem duo quædã inſuper excogitaui tutiſſima, atque ob temperationem ſuam cuilibet tempori, ætati, naturæ conuenientiſſima, in quibus miſcetur utile dulci: Quæ tantũ nutriunt quantum fouent & roborant: Præterea ſpiritui & ingenio tantũ ſtabiliendo, quantũ acuendo

Exhilarãs

Electuaria tutiſſima.

& illustrando conueniunt. Sume sacchari rosacei uncias quatuor, sacchari unà cum floribus buglossæ concocti uncias duas, corticis pomi citri saccharo cõditi unciã unam, chebulæ cõditæ uncias duas, cinnami electi drachmã unã, sandali, coralli scilicet utriusque rubri, item serici coccinei crudi, & consciβi, croci, margaritarum, singulorum drachmam dimidiam, auri, argenti singulorum tertiam drachmæ partem, ambræ, muβci, utriusque grana duo. Funde omnia simul succo citri uel limonis, saccharo cocti. Sequitur confectio altera aliquanto salubrior, certè multo suauior. Sume amygdalarum dulciũ quatuor uncias, nucleorum pineorum scilicet ablutorũ diei unius spatio seminũ cucumeris, utrorúmq; pariter uncias, sacchari duri quod Candum, id est candidum uocant, quatuor uncias, sacchari alterius & albiβimi libram unam atque dimidiam: Funde cuncta hæc aqua rosacea, atque limonis & citri in qua extinctum fuerit ignitum aurum & argentum, simul coque suauiter. Demum adde cinnami, been rubri, coandali rubri, coralli similis singulorum drachmam unam, margaritarum nitidiβimarum, croci, serici crudi coccinei minutiβime attriti, singulorũ drachmam dimidiam, auri argẽti utriusque grana duodecim, hyacinthi, smaragdi saphiri, carbunculi, singulorũ tertiã drachmæ partẽ. Si cui uerò desunt aurum, argentũ, ambra, muscus, pretiosi lapilli, confectiones illæ etiã prodesse multum sine his poterunt. Quarũ treis potiβimum eligo unam. s. Mesues, quam recensui, duas uerò nostras, quas modo descripsimus. Quo uerò pacto ijs utendũ sit, superius satis exposuimus. Si qs autẽ simplicius aliquid appetat, omnibus tamen accõmodatum hic citri pomũ perfectè maturũ, integrũ perfectè

contundat, multóque sacchar o & multo rosarũ succo adhibito coquat: coctum uerò modico cinnamo crocóque condiat, aut aromatico rosaceo utatur sic tẽperato. Sume aromatici rosacei unciam unam, sacchari rosacei, sacchari diabuglossati, utriusque uncias duas, aut similiter, misceat Diamuscum. Quanquam enim duo hæc nõ sint simplicia, tamen facile satis habentur. At si caliditas timeatur, diaprunis & saccharum uiolaceum adiungantur.

Emaciantis uigiliæ remedia. Cap. 24.

SAepe melancholicis, præsertim literatis accidere solet, ut nimium exiccato cerebro, uigilijs longis extenuẽtur. Quoniã uerò nihil atræ bilis mala magis aquam get, quã lõga uigilia, tanto malo omni studio succurrẽdũ. Ideo lactucas post cibos alios edant unà cũ pane modico, auculo croco, uinũque purũ sorbeãt post lactucã, neque ultra horã lucubrent: Cumque se dormitum conferunt, cõfectionem eiusmodi sumant, In qua seminis papaueris albi unciæ duæ sint, seminis lactucæ uncia una, amomi, croci scilicet utriusque pars drachmæ dimidia, sacchari unciæ sex: Dilue & coque omnia simul syrupo papaueris: Edãt huius drachmas duas, simúlque nõnihil syrupi papaueris gustent aut uini. Illinias eis frontẽ tẽporáque oleo ex uiolis, et ex nenufare adiecta cãphora. Itẽ lacte oleóq; amygdalino atque uiolaceo. Odorẽ croci et cãphoræ, putaminũque dulcis mali naribus admouebis: Aceti insup modici sed aquæ rosaceæ plurimæ. Sternes quoq; lectũ plantarum foliis frigidarum. Aures suauibus cantibus sonisque delinies. Humectabis sæpe caput eiusmodi lauacris, scilicet aqua in qua cocta sint frusta papaueris, lactucæ, portulacæ, maluq;, rosarũ, uiris, salicis, arũdanũq; fomlia, addi

Extenuatis uigilia quomodo medearis

Vigiliæ immoderatæ remedia

ta chamomilla. Balneis quoq; dulcibus ex rebus eiusmodi sæpe tibiæ brachiáque, sæpe totum corpus est humectandum. Lac insuper bibere mistum saccharo scilicet stomacho uacuo, si modo stomachus optime tolerauerit, maxime prodest. Humida hæc melancholicis, etiam si satis dormiant mirifice conferunt. Memento lac amygdalinum mensæ familiarissimum esse debere.

Amygdalinũ lac studiosorum mensis familiare

Memoriæ hebetis atq; obliuionis remedia. Cap. 25.

Hebetudinis atq; obliuionis medelæ

ACcidit uerò nonnunquàm ut studiosis, uel quia sedulo inclinato capite legant scribántue, uel quia ocio nimio torpeant, pituita quædam uiscosior uná cum frigidæ nimis melancholia caput occupans grauet, atq; hebetes obliuiosq; efficiat. His ergo caput exonerandum est ijs remedijs, quæ alias diximus pituitæ conuenire, sin minus illa sufficerint, ad pilulas Indas & cocchias hieralogodiõq; cõfugito. Præterea ad hierã diacolocyntidos uel Archigenis, uel Andromachi, uel Teodotionis, aut ad pilulas Iudæi, quas Mesues in capitulo De capitis dolore describit. Q̃d si natura ætásue frigidior sit, nec æstas obstiterit, post purgationẽ utere confectione illa anacardina, quam Mesues sapientum cenfectionem nominat in Antidotario. Rursus anacardina illa, quam in capitulo De obliuione ex sentẽtia filij Zachariæ recenset. Da summo mane drachmam unã, sed qui eã sumit, ab ira, coitu, ebrietate, labore, rebúsq; calidis eo die, prsus abstineat. Hæc quidem aduersus hebetudinem obliuionémque ualentissima sunt. At uerò si familiaria magis optes, da gingiber conditum, sed modico thure mistum, quod sensibus et memoriæ magnopere prodest, præsertim his adiectis, scilicet melle anacardi, melle chebularũ, acoris, cyperis, am-

bra, muſco. Prodeſt etiam diambra, pliris ſarcoticon, & diacori. Sed hæc ore diutius retinenda, naribus etiam & auribus infundenda, odor quoq; thuris amaraci, marathri, nucis muſcatæ, rutæ, gariophilorum, prodeſt non mediocriter. Memento tamen theriacam in his atq; ſimilibus, quemadmodum ab initio diximus, nulli unquam remedio poſtponendam. Præterea hebetibus obliuioſisque tẽpora & ceruicem unctione eiuſmodi unge. Sume olei ſambuci uncias duas, euphorbij unciã dimidiam, caſtorei quoq; tantundem, perfricabis brachia, crura, ceruicemq; uehementer. Ac ſi opus fuerit, ceruici cucurbitulas admouebis. Verticem præterea capitis amaraco, thure, nuce muſcata tunſis operies atque fouebis.

Theriaca nulli remedio poſtponenda

Spirituum cuſtodiæ nos eſſe intentos debere. Cap. 26.

SI homines ueritatis cupidi, tãta medicorum diligentia corporeum ſpiritum curare debent, ne ſorte omnino neglectus, uel impedimento ſit, uel inepte ſeruiat quærentibus ueritatem, multo proculdubio diligentius incorporeum ſpiritum, id eſt, intellectum ipſum diſciplinæ moralis inſtitutis colere decet, quo ſolo ueritas ipſa cũ ſit incorporea, capitur. Neq; enim fas eſt ſolum animi ſeruum, id eſt corpus colere, animum uerò corporis dominum regemq; negligere: præſertim cum Magorum Platonisq; ſententia ſit corpus totũ ab animo ita pẽdere, ut niſi animus bene ualuerit, corpus bene ualere nõ poßit. Quapropter medicinæ author Apollo, non Hippocratẽ, quauis ex ſua ſtirpe genitũ, ſed Socratem ſapientißimum iudicauit. Quippe cum quantũ Hippocrates corpori, tantũ Socrates aĩo ſanando ſtuduerit: quanquã quod tẽtauerant

Spirituum cura hanæ benda

illi, solus Christus effecit. Proinde mentem nostram optimis colere moribus à Socrate idcirco iubemur, ut lucem ueritatémque à nobis naturæ instinctu quæsitam serena mente facilius assequamur: quanto magis ueritatem ipsam diuinam in primis religione sancta fas est uenerari? Ad quam quærendam capiendámque non aliter creata mens est, quàm oculus ad lumen solis perspiciendum. Atque, ut Plato noster iuquit, quemadmodum uisus nihil usquàm uisibile perspicit, nisi in ipso summi uisibilis, id est solis ipsius splendore, ita neque intellectus humanus intelligibile quicquam apprehendit, nisi in ipso intelligibilis summi, hoc est dei lumine nobis semper et ubique præsente. In lumine inquam, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In lumine de quo canit Dauid: In lumine tuo uidebimus lumen. Profectò quemadmodum purgatis oculis, inque lumen ipsum aspicientibus, subitò splendor eius infunditur, coloribus figurisque rerum abunde refulgens: ita cum primum ab omnibus corporis perturbationibus per moralem disciplinam purgata mens est, atque in diuinam ueritatem, id est, deum ipsum religioso quodam flagrantissimóque amore directa, subito, ut diuinus inquit Plato, diuina menti ueritas influit, rationesque ueras, quæ in ipsa continentur, quibúsue omnia constant, feliciter explicat: quantóque mentem circumfundit lumine, tanto simul & uoluntatem gaudio beate perfundit.

MARSILII FICINI FLORENTINI, IN LIbrum secundum de Vita producenda, ad Philippum Valorem, epistolare Proœmium.



Vanquam Plato noster Genio suo uiuit, & uicturus est, ut arbitror, dum mundus ipse uiuet, meus me tamen Genius huc semper impellit, ut post diuinum cultum ante omnia Platonis uitæ prospiciam. Ad hoc ipsum iãdiu nobis aspirat præ cæteris Medica domus. Ad idem conspiras & tu mi Valor, medicum amicissimus, & Platonicæ gloriæ atque disciplinæ admodum studiosus. Quam ergo uitam Platoni semper exopto, eamdem opto Medicibus, similemq; Valori. Quamobrẽ hortor & obsecro te mi Valor, ut quanta semper opera gloriæ Platonicæ fàues, tanta aliquando diligentia præcepta hæc nostra de uita producenda legas atque serues: quibus diu uiuens resurgenti nuper disciplinæ Platonis diutius unà cum magnanimo Laurentio Medice patrocinari possis.

Vale.

MARSILII FICINI
FLORENTINI, MEDICI
ATQVE PHILOSOPHI
celeberrimi de uita producenda, siue longa,

LIBER SECVNDVS.

Ad perfectionem scientiæ necessaria est uita longa, quam diligentia præstat. Cap. 1.



AD artem scientiamq; perfectam non tam uel docilitas ingenij, uel memoriæ firmitas, quàm prudẽtis iudicij perspicacia nos perducit. Iudiciũ uerò propter ambiguitatẽ ex cõiecturarum diuersitate cõceptam, adeò difficile est, ut experimento sit necessario confirmandum. Experimentum quoq; fallax, tum propter iudicij ipsius difficultatẽ, tum propter fugacẽ opportuni in experimento captando temporis breuitatẽ. Quibus sanè de causis, artem esse longam unà cum Hippoc. recte concludimus, nec posse nos eam nisi uitæ longitudine consequi. Vitam uerò longã nõ solum ab initio semel fata promittunt, sed nostra etiam diligentia præstat. Quod & Astrologi confitentur, ubi de Electionibus, & imaginibus agunt: & medicorum cura diligens, experientiáque confirmat. Qua quidẽ prouidentia non solum homines natura ualidi sæpissime, sed etiam ualetudinarij uitam longam aliquando consequuntur, ut non mirum sit Herodicum quendam literarum studiosum omnium sui tẽporis infirmissimum, ut Plato & Arist. te-

Artiũ experimentũ fallax.

Herodicus ualetudinarius.

stantur, eiusmodi prouidentia annum ferè centesimũ im- rius prudẽ
pleuisse: Plutarchus præterea narrat multos corpore alio tia uitã ui-
quin parũ firmo, uitam sola diligentia longam cõsecutos. uit lõgæuã
Mitto in præsentia, quot imbecillos ipse nouerim pruden
tiæ munere robustißimorũ annos superauisse. Neque igi-
tur inutile fuerit, neque uanum post librum De curanda
ualetudine literatorum à nobis cõpositum, præcepta quæ
dam insuper ingeuij scientiæ cupidis ad uitã longam cõdu
cẽtia, tradere. Instituta uerò hæc nec inertibus ignauisque
communicari uolumus. Quid. n. cupiamus istos diu uiue-
re, qui nec uiuunt quidem, quasi fucos nutriamus, non a-
pes? Nec hominibus diuulgari, perdita uoluptatum libidi
ne dissolutis, qui breuem quotidie uoluptatem lõgæ uitæ,
stulti præponunt. Nec improbis inquisque patefieri, quo-
rum uita mors est bonorum. Sed uiris duntaxat prudenti
bus atque temperatis, solertis ingenij uiribus humano ge-
neri, uel priuatim, uel publice profuturis.

Vitalem calorem nutriri humore, cuius ultra citráque excessu fieri corruptionem dissolutionémque. Cap. 2.

VIta quidẽ tanquam lumen in naturali calore consi
stit. Caloris uerò pabulũ est humor aerius, atque
pinguis quasi oleũ. Si igitur humor eiusmodi forte defi-
ciat, siue prorsus excedat, uel inquinetur, calor naturalis
statim debilitatur, et tãdẽ debilitatus extinguitur. Si humo
ris defectu calor debilitatur & perditur, mors resolutione
cõtingit. Si potius obruitur humoris excessu uel uitio, ui- Ἀμετρια
ta suffocatione perit. Suffocatio uerò humoris cuiuslibet γοῦσος τί
exundantia uel putrefactione cõtingit, præsertim pituita κτει.
uel excrescẽte uel quomodolibet putrefacta, ut non imme

ritò pituita petens uitã fuerit nominata. Præcepta igitur ad producendã uitam maxime necessaria: hinc quidem resolutionem, inde uerò suffocationem putrefactionémque æque deuitãt: Aeque inquam, ratione cõi. Nam si calidiorem siccioremue hoĩem fortè curant, & cui meatus quidẽ aperti sunt, humores autẽ spiritusq; subtiles resolutioni magis occurrunt. Sin autem contraria ratione corpus affectum tractant, potius suffocationi subueniunt. Maximæ uero in alterutro studeant, si ad alterutrum locus tempúsue declinet. At ubi ingeniosis studiosisq; consulitur, utrunq; præceptum firmè est pariter necessarium, in utroque simi liter laboratur. His.n. acutum quidem calidúmque ingenium, et imaginationis motus assiduus, resolutionem: ociũ uerò corporis atque cruditas, suffocationem minitari uidetur. Nusquàm igitur medici uehementius quàm in eiusmodi hoĩum curatione laborant. Et si tota libri superioris disputatio ad prorogandã uitam maxime confert: propriã tamen quandã res tãta curã, qualem deinceps quoad potero paucis comprehendam, postulare uidetur.

Quomodo sint temperandi calor & humor quodam Mineruæ consilio. Cap. 3.

CAeterum dum oleum istud pingue, igneo huic uigori nostro necessarium, pingui Minerua tractamus, Minerua interim oliuifera olei uitalis origo, almi uidelicet Iouis capite nata ridet, quod sui muneris quantitatem planè cernentes, interea non satis uidimus quantitatem. Ridens ergo, uobis, inquit oleum non modo quantum sat flammæ nutriendæ foret, abunde dedi, sed etiam sine amurca syncerum infudi lucernæ. Hæc ille. Nos autem inter loquendum errantes offendimus quo-

niam lucerna pedibus nostris uerbum suum nõdum nobis auditum. Ex hac ergo lucerna discamus, oleum iugiter flã mæ subministrandum, ea. s. diligentia, ut nec repẽtina quadam lumen obruamus illuuione: nec rursus differamus sitibundo potum. Sed hæc quidem duo, satis in superioribus tractata putamus. Reliqua nobis duo sunt, quorum alterum leuiter tetigisse, alterum uix attigisse uidemur. Tangentes interim ita Palladem ut ridere nunquàm solita, nos rideret. Quid ergo? Primo quidem considerabimus flammam uel pauculam esse prorsus edacem, ideóque lucernã illam lucere diutius, in qua sic flammula est ad ellychniũ, id est, licinium temperata, ut nõ ebibat oleum, sed pitisset. Itaq; & nos in omni diæta cauebimus, ne quando, præsertim in iuuentute, nimium inualescat insitus ignis suapte natura uorax. Sat uerò fuerit tum humorem inundantem, tũ penetrabile frigus hinc arcere. Deinde lucernam cogitabimus frequenter extingui, quando non syncerum oleum instillauerit, sed (ut ita dixerim) amurcosum. Vnde paulo post cõcrescunt ex amurca fungi, luménque extinguũt. Iam uerò nos alumnum à Pallade susceptimus, oleum scilicet aerium quamplurimum purúmque, et natiuo quodam lentore tenax atque firmum. Quod ergo huic paulatim absumpto suggeritur, non solum huic æquale debet esse, sed simile. Vt uerò sit simile, non tantum aerium esse debet et pingue, sed penitus ab amurca secretum. i. à fæce quadam ex terra & aqua crassiore congesta. Hanc ergo congestionem sæcẽque uitaturi alimenta eiusmodi fugiamus et ociũ et cruditatẽ atque sordes. Interea uerò Minerua ea moderatione colamus, ut caput qdẽ de quo nata est ipsa, nobis augeat, neruos aũt stomachũque non minuat,

Arescentis humidi naturalis & alieni exuberantis causæ: Et quàm necessaria sit ad uitam perfecta digestio. Cap. 4.

NAturalem humarem uelociter hæc exiccant: Sanguinis fluxus uberior: uiolenta solutio uentris: Diu lubricus aluus: Profusus sudor: Latius patefacti meatus: Coitus ad debilitatem factus: Sitis anhela: Fames crucians: Vigilia longa: Vsus præcalidarum rerum simulatque siccarum: laboriosus animi corporisque motus: Anxietas: Ira: Dolor: Siccior simulatq; feruentior aer, præsertim igne calescens: Ventus aridior & uiolentus atq; diuturnus. Humorem supra modum augentijs cõtraria. Ebrietas frequens utrunque facit. Nimio enim tum calore siccat, tum humore suffocat ebriosum. Nihil autem magis quàm cruditas, ad utrunque nocet. Vbi enim non concoquitur alimentum, hinc quidem deest quo naturalem irriget humorem: inde uerò putrefactum supereſt, quod exundans, calorem obruat naturalem: Quamobrem Auicenna corrumpi sanguinem inquit, ubi digestio ipsa corrumpitur, secutúsque Galenum appellat digestionem, uitæ radicem. Optima igitur est & quasi unica hæc regula Galeni, concoctionem cibi præ cæteris ubiq; curare. Nam quod maximum uidetur esse præceptum, salubribus uidelicet uti, nihil proderit nisi coquas. Siquidem ex his firmè sicut ex contrarijs noxius humor profluit, si cruda membris influxerint. Ex cibis autem etiam minus arte laudatis, sæpe minus malũ accipitur nutrimentum, si uehementius concoquantur. Cruditatem igitur tanq̃ graue, resolutionis simul & suffocationis causã, diligentißime deuitemus, quantitate uidelicet cibi potúsq;

Coitus à cibo digestionẽ impedit

Coctionis ad uitã necessitas & usus

Crudltas uitanda ubiq;

nobis

nobis accõmodata. Qualitate, ſimplicitate, præparatiõe, contritione, ieiunio reuocãte famem, ac ſi opus fuerit, ſtomachi etiam exteriore fomento, rebuſq; quibuſdam ſtypticis poſt epulas intus aſſumptis. Caueamusq; diligenter, ne cibũ potus exuperet, néue cibus ſit liquidior, aut durior: aut hic uel ille ualde ſit actu frigidus, aut alimenta ſint lõgè diuerſa, aut crudum addamus crudo. Hæc enim concoctionem magnopere prohibent. Caueamus inſuper diligentiſſime, ne uel coitu ſtatim poſt cibum, uel ſomno meridiano ſæpius non neceſſario, uel nocturna uigilia, uel labore animi ullo, ſiue corporis importuno, uel alio quopiã pacto digeſtionem impediamus. Digeſtionem dico equidem non primam tantum, quæ fit in ſtomacho: ſed ſecundam etiam quæ fit in iocinore: Tertiam inſuper quæ in uenis: Quartam denique quæ in membris efficitur: Quælõgo quodã indigent interuallo, et quauis impedita, pabulũ nõ ſuppeditatur humori. Proinde ſicut digeſtionem, ſic excremẽtorũ purgationẽ adiuuare ĩ primis neceſſariũ eſt ad uitã. Neceſſariũ, ſordes etiã à cute detergere. Neceſſarius eſt motus corporis tam cõtinuus, tam temperatus, tã uarius, quã cœleſtium aeriſq; motus & ignis & aqua, ſeruata duntaxat concoctionis & ſomni neceſsitate. Defatigatione uerò & reſolutione uitata. Præterea ſub umbra ſitũ cariémq; obducimus. Sub diuo, ſub lumine uiuimus. Qd' pater meus Ficinus inſignis medicus, frequenter habebat in ore. Sed ad hæc feliciter peragenda operæpretiũ foret, non tam urbanis negocijs quàm ruſticis quibuſdam exercitationibus à tenera ſtatim ætate corpus aſſuefeciſſe, et quodãmodo ſimilibus. Interdũ etiã nutrimẽtis, et uitæ genus quodãmodo uarium tenuiſſe. Quod me ſæpius ille

Coctionẽ remorandi tia

Digeſtiones quatuor

Laboribus ruſticis nõnun quã uti ex re eſt ſanitatis

prudẽs monebat. Qui enim in omni ætate lautißima quadam curioſitate uiuunt, ſæpe minus tuti uiuũt. Qui uerò adoleſcentes ſe minus aſſueſcerint, adulti ſaltem aſſuefaciant: cautioribus tũ gradibus, & paulatim id tentantes.

Sanguis & humor accommodatus uitæ, aerius eſſe debet, qualitate temperatus, ſubſtantia medius atque tenax. Cap. 5.

GRæci omnes inter præcepta ad diuturnam uitam maxime neceſſaria: mandant ut euchymis alamur.

Euchyma

Euchyma uocamus alimenta ſalubria, quæ bonum afferunt nutrimentum, id eſt ſanguinem bonum. Bonum uerò ſanguinem appellamus, non frigidum, non ſiccum,

Sãguis bonus qualis

non turbulentum, ſed calidum & humidum atq; clarum. Calidum quidem calore non acri: Humidum uerò humore non aqueo: Clarum quoq;, nec tamen interea tenuißimũ. Iam uerò feruentior ſanguis, naturalem tum calorem exacuit, tum exiccat humorem: et quem ipſe humorem infert

Sãguis bonus longæ uitæ utilis

uel calorem, reſolubilem præſtat atq; fugacem. Sanguis præterea humidior proniorq; ad aquam, naturalem obtundit calorem, humorem quoq; naturalem uel hebetat, uel impellit ſub calore liqueſcere, uel ſuffocat humiditate calorem. Et omnino, ſiqua portio naturalis humoris ex aqueo ſanguine trahitur, tum putreſcit facile, tum citò diffluit, atq; diſſoluitur. Hinc efficitur, ut qui molliores fructus herbaſq; comedunt, niſi raro forſan & pro medicina tunc uentrem leniente ſumant, breui uenas ſucco crudo putrefactioniq; obnoxio penitus impleant. Ac ne id accidat, tutius pro alimento uel coquuntur, uel ſaltem cũ pane miſcẽtur. Sanguis ergo nec igneus eſto, nec aqueus, ſed aerius. Non aeri craſſiori ſimilis, ne procliuior ſit ad

aquam. Non aeri subtilißimo, ne facile incalescat in ignē: sed substantiam teneat mediocrē, in qua medius aer dominatum habeat plurimum. Cætera elementa insint, quatenus aeris accōmodantur imperio. Non sit eius substantia subtilißima, ne humorē instabilem generet, spiritumq; uolatilem, & dissolutioni subiectum. Nō sit craßißima, alioquin & ingenio minime ministrabit, & uix in naturalem humorem ac spiritum permutabitur, meatus obstruet, suffocationi dabit occasionem. Et spiritus qui uix tandē crassus inde creatur, densitate sua, & ipse parum idoneus est ad uitam, & calorem naturalem ita suffocat, sicut fumus densior flāmam comprimit protinus & extinguit. Mitto quod saltē adeò tenebrosus est, ut uitam efficiat mœstam, morte deteriorem. In primis autem, ut mihi uidetur, ad uitam expedit diuturnam, sanguinē unà cum substantia quidem aeria ualde, nec admodum crassa, habere glutinosum aliquem in se humorem atq; tenacem, qualem fermè cum subtilitate habet oleū oliuarum, & humor anguillæ pinguis simulatque tenuis, & oleum ex terebinthina quadam sublimatione tractum. Tu igitur alimenta, cæteráque oīa quæ sanguinem pro uiribus, humoremq; talem efficiant, diligenter eligito. Sanguis. n. humorq; talis sicut oleum flāmæ, ita uitali calori pabulū est, & unà cū subtilitate habet etiam firmitatē. Præceptum. n. Rasis est pro iuuētute seruanda, rebus uti sanguinē ad præcordia traducētibus, ibiq; cōdensantibus, corque fouentibus. Quod Auic. pro contrario Differens aūt in hoc, pro differētia corporū, ratio est habenda. Nā ubi densius corpus est, ad subtilitatē sanguinis: ubi rarius, ad crassitudinē eiusdem, omnibus est remedijs

Omne immoderatū ad mediocritatē referatur.

declinandum. Vbi media corporis habitudo, uia similiter media tutius imus. Nunquàm tamen naturalem corporis habitudinem extirpare conabimur, alioquin uitam ipsam extirparemus. Expedit insuper meminisse, ubi subtilitatẽ sanguinis ualde ueremur, & stomachus interea non sit ad modum natura ualidus, minutioribus ad crassitudinẽ gradibus accedendm esse dum gracilem hominẽ crassioribus alimentis nutrire contendimus: & fouendum interim stomachũ, & producendum somnum. Exercitationẽ corporis pro uiribus augendam, animi minuendam, quæ plurimis sæpissime nocet. At si minus ferat alimenta uiscosa nimium duráque, uel admodum frigida, usu saltẽ corallorũ, sandalorum, rosarum, coriãdrorum, myrabalanorum, cydoniorum, & diacydonion, saccharíq; rosacei, styptica-rumq; rerum, eam sanguinis humorisq; firmitatẽ deniq; consequemur, quam rebus nimium glutinosis hic tutò cõsequi nõ ualemus. Cõmodissime uerò ex nucleis, pineis, pistaceisq; & glycyrhizæ succo & amido additis amygdalis dulcibus, earumq; oleo & cydoniorũ semine, atq; oleo sisamino unà cũ saccharo candidiss. aquaq; rosacea nutriẽtur, qui uiscosa grandiorũ aĩalium mẽbra concoquere ne-

Sanguinis diffluentis remedia.

queant. Concedemus his præterea extrema gallinarũ uel hœdorum, & testudines, & limaces, atque testiculos. Vina dabimus nõ alba, sed rubra styptica-q;, & quodãmodo subamara: aqua uinũ ferrea uel mastice tẽperantes. Oleo quoque masticis cydoniorumq; cutem leuiter leniemus, et uitabimus interim quæ sanguinem subtilem faciunt uel fluentem, nisi forsan nonnulli croci uel cinnamomi tenacioribus epulis infundamus, ut & facilius concoquantur, & cocta per meatus angustos transferantur ad membra.

difficile nanque est uiscosa uel alimenta paulo firmiora ex stomacho non admodũ ualido usque ad digestionem tertiã quartámque perducere, nisi eiusmodi uehiculis perferantur, atque insuper frictionibus lenibus prouocẽtur. Quas quidẽ cum facies, manibus eas mollioribus facito. Ac memento madefacere manus odorifero quodam uino, in quo chamomillam myrtúmque coxeris atque rosas.

De communi edendi bibendique regula, & qualitate epularum. Cap. 6.

Edendi regula.

Epularum qualitas.

SEd missa in præsentia faciamus obtusissima hominũ corpora uel tenuissima: ad cõem uiuendi rationẽ perneniamus, cõi mediæq; corporis habitudini prorsus accõmodatã. Caue ne ulla ratione meatus corporis uel supra modũ pateant, uel nimiũ obstruãtur. Ibi.n. in resolutione & iniuria extrinsecus inferẽda discrimen: hic aũt in putrefactione & suffocatione periculũ. Etsi non arctissimo regulæ fræno, quod Hippo. dãnat, te cohibeo, nõ tamen habenas tibi ad licẽtiã usq; relaxo. Herbas & fructus humidiores accipe parcé. Parcius lac & pisces, & utrunq; cũ melle. Parciss. fungos, atq; cũ aromaticis ac semine pyri. Similiter purũ aquæ potũ, atq; unà cum parcitate. Quæ humidiora sunt uel pinguia, aromaticis acribúsque condito, alioquin & humorẽ alienum mẽbris plurimũ inferunt atq; putridum: & siquẽ necessarium naturæ humorẽ suggerunt, hunc præstant citæ admodũ corruptioni subiectũ. Quod nõ aliter quã aquosum uinũ conturbatur celeriter & corrumpitur. Hinc cita canicies, & pallor rugositásq; senilis. Carnes quoq; si quotidie comedãtur, ac ẽt si põdere pani propinquent, etiam putrefactionẽ inferunt. Vnde Porphyrius Pythagoreorũ antiquorũq; authoritate fre-

tus, esum animalium detestatur. Nónne homines accepimus ante diluuiũ longæuos, animalibus peperciſſe? Quanquam medici nõ tam carnium usum uetant quàm abusum. Denique humida tanquàm putrefactioni obnoxia fuge, memoria tenens humidos & pingues senescere citius atq; mori. Quod & Hippo. ait, & res ipsa declarat. Siccissima rursum accipe moderate, uel saltem liberiora tempera potu. Media tutus eligito. Tametsi Auic. formã cibi paulò sicciorem molli præponit, ad canicie euitandam. Ad frigida nimiũ aut calida cautissimus esto calida simul & humida sequere. Si feruet aer, epularum humor calorem superet: si friget, calor humorem. Vtrobiq; uero modicus sit exceſſus. Vbiq; calor & humor nõnihil glutinosum habeat atque stypticum, ut illinc mẽbris irrigatus humor inhæreat firmius, ac diu sub calore pduret. Electũ triticũ, et panis electus hoc in primis habet. Deinde rubrũ stypticumq; uinũ, parumq; dulce. Tertio pinei, nuclei, réſq; ijs tẽperie & lẽtore perſimiles. Quarto carnes nõ humidæ simulatq; laxæ, ut suillæ & agninæ lactentes. Medici tamẽ ueteres, maxime Gal. suis carnes et sanguinẽ, propter quandã cũ corpore noſtro similitudinẽ ualde cõmendant. Optime sunt igitur similibus corporibus, ut rusticis et robustis, cospúsq; multũ exercitãtibus, præsertim si quatriduũ gariophylis, coriãdris præparatis, sale cõditæ seruentur. Et sanguis forsan utilis si cũ saccharo coquatur, defæcatúsq; ad summũ fuerit atq; liquẽs. Sed ut ad numerũ reuertamur, nõ pbãtur carnes humidiores, quales diximus, nõ duræ simulatq; siccæ, qualesuetustioris leporis atq; bouis, sed mediæ quędã, ut gallinaceorũ, pullorũ, caponũ, pauonũ, phasianarũ, pdicũ, forte ẽt pullorũ colũbiorũ præ

Carnes quæ salubres.

sertim domesticorũ. Tales quoq; sunt capreoli uitulíq;, iu uenes & anniculi uerueces, pariter atq; apri. Hœdos non sperno lactentes, caseumq; recentem. Auiculas equidem prætermisi. Frequẽs enim subtiliorum alimẽtorum usus, stomacho solum cõuenit crassiora minime toleranti: Qui uerò ualidior est, fugacem ex ijs fumum reportat uel humorem. Oua tamen gallinarum non prætermitto, si uitel lus unà cum albo comedatur. Vitellus nãq; solus delicato rum est nutrimentum: nam Auicenna probat nutrimentũ nullum expedire magis in diminutione sanguinis & dissolutione spiritus cardiaci quàm uitellum oui gallinæ, uel pdicis, uel phasianæ. Neq; forte ab re fuerit anseres nutrire spelta aquáne nitida, ac post necem carnes sale & coriandris aceto præparatis conditas, dies septem seruare prius quàm edas. Ceruumq; similiter, si stomachus fuerit ualidissimus. Probabile nanque est longæua quædam animalia ad uitã cõferre longæuam, si tamen huiusmodi carnes iuuenes comedãtur. Similiter aliæ carnes uicissim sunt to tũ assæ, tũ elixæ. Cibus esto duplus ad potũ. Panis duplus & sesquialter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces, herbas, fructus humidiores. Ne incipiat à potu mẽsa, neq; potus sit semel uberior. Semper stypticũ aliqd absq; potu uel modico, sequatur mensam. Vbi cõplexio, ætas, locus, tempus, ad calidũ siccúmue labitur, tu quoq; paulisper ad opposita declinato. Vbi ad frigidũ aut humidum, similiter ad opposita uergito. Vbi temperies, seruato tẽperiem. Eatenus autem exercitationi quidem corporis est addẽdũ, & animi detrahẽdũ, quatenus epulis uescimur durioribus ad diuturnitatẽ uitæ aliqñ forsitan necessarijs. Mensæ tibi sint in nouem diei horis duæ, & utro-

Oui uitellus sanguinem repa rat

Panis esto duplus ad carnes

Potionis ad cibum proportio debita

biq; parcæ. Parcior uerò cœna. Exercitationes corporis duæ fermè post digestionem primam ad sudorem quasi productæ. Somnus quidem nocturnus, quia semper est necessarius, semper bonus: diurnus autem nisi admodum necessarius, nunquàm bonus.

Non esse utendum alimentis quæ cito putrescant: Vinum & triticum præ cæteris eligenda, putrefactio & resolutio fugienda. Cap. 7.

ANimalia uerò quæcunque in nostram custodiam ueniunt, mundis electisq; alimentis nutrienda sunt antequam uescamur. Atq; hæc & alia omnia ex pascuis altioribus & odoriferis eligenda sunt. Inter hæc regulam ante omnes ab Arnoldo philosopho cõprobatam, memori semper mente teneto, Animantes, herbas, poma, fruges, uina ex altis odoriferisq;, ut diximus, regionibus eligere oportere, quas uenti tẽperati serenant, suaues Solis radij fouent, ubi aquæ nullæ stagnant, culta sterquilinio non pingescunt, sed humore natiuo, ubi etiã quæcunque nascuntur, diu permanent incorrupta. Hic diũ taxat habitandum est, hic quoq; nascentibus uescendum. Neq; confidendum est, ex alimentis quæ breui putrescunt humorem nos comparaturos diuturnum, & à putrefactione remotum. Neq; sperãdum facile nos diu uicturos, ubi terræ fructus incorrupti diu non conseruantur: ubi raro admodum homines sunt longæui. Quantum uerò sit in loco uictúq; discrimen pomum declarat persicum: in Persia quidem uenenum, in Aegypto, cordis amicum. Et helleborus in Anticyra impune sumptus, alibi uerò uenenũ. Aristoteles habitationem eligit altam ad meridiẽ oriẽtẽq; spectantem, sub aere subtili, nec humido, nec frigido. Et

Habitatio qualis eligenda

Altricis terræ facultas

Plato longæuos in æditißimis atq; temperatis reperit regionibus. Deterrimũ uerò eſt ſtercorare agros, uel aquas ſtagnantes ex agris minime deriuare. Omnia enim illic ci tæ corruptioni ſubiecta naſcuntur. Quamobrem eos non uituperare non poſſum, qui ſapientem Heſiodum idcirco uituperant, quod in re ruſtica ſterquiliniũ prætermiſerit. Sed ille prudens ſalubritati potius quàm fertilitati conſuluit. Satis autem ex lupinorum fabarúmq; folijs tempeſtiue ſubuerſis, agrum pinguefieri poſſe putauit. At uerò ſi regiones humidiores immundásq; colere, & alimenta minime duratura ſumere compellamur, eum quaſi ſeruemus uictum, quẽ ſub aere peſtilenti medici mandauerunt. Quade re in libro Contra peſtilentiam ſatis egimus. Sũmatim uerò ſuauibus et quodammodo calidis utemur odoribus. Aloe rite præparata ſæpe, leuitérq; purgabimur. Rite uero præparatã dicimus, ſi lota fuerit aqua roſacea uel ſuco roſarũ, aut ſi cũ roſis recentibus cõtritisq; fuerit perfecte cõmiſta. Deinde addatur ei myrobalanus atq; maſtix, & fortè roſa. Medicina hæc extra controuerſiam mirabilis eſt ad cõſeruandam diu mentẽ ſanam in corpore ſano. Præterea corpus exercitabimus: opportũo utemur foco. Hoc puluere epulas condiemus: Myrobalanorum emblicorum ſit pars unciæ quarta, ſandalorum uerò dimidia, cinnamomi integra, octaua croci. Hoc itaq; puluere rebúsq; ſimul acribus imminentem ex putridis alimentis et locis corruptionem forſitan inhibere poterimus. Meminerimus autem, ubi multo plures putrefactione ſuffocationéq; quàm reſolutione pereunt, ibi putrefactioni, & ſuffocationi maxime reſiſtendum. Vbi uerò contra, uiciſſim uti condimentis aromaticis, et quodammodo auſteris,

Aeris electio ad uitæ longitudinem

Cibi humidiores qui bus ſint cõdiendi

Aloe lota

ut diximus, odoribúsq; similibus quouis tempore putrefactionem prohibet: ungi oleo, frigoris iniuriam: uti lauacris ex aqua & oleo, resolutionem ex labore uel calidis tẽporibus imminentem. Similiter os aqua sæpe colluere, succum glycyrhizæ, uel saccharum crystallinum ore tenere:

Senectutẽ uino molliri, Platonis sententia

Aqua rosacea multa, paucoq; aceto rosaceo manus faciẽque perfundere, similibusq; odoribus uti. Septima quaq; hora alimentis modicis recreari, corpore simul & animo conquiescere, calore uitato. Primum uerò interest, quale sit uinum & triticum, quibus assidue uescimur. Hæc ergo sint talia, ut ultra annum & potius ad triennium integra perseuerent, si modo incorruptibilẽ ijs alimoniam sperare debemus. Vinum, siue album siue rubrum sit, esto clarum, suaue, stypticum, odoriferũ, & quod indigeat aqua.

Vini senũ qualitas et substantia

Nisi forte uinum repereris, leue simul atq; durabile, quod rarissimum esse solet. Quod uerò ualidius est, philosophus Isaac uinum dicit esse uinosum coctum sole, uentisq; purgatum: quod aqua fontis puri temperari iubet, aliquã diu antea quàm bibamus, ut perfectius misceatur. Aquosum uerò uinum atque debile uel acerbum, fugiendum monet, utpote quod intra uenas et membra acidum citò fiat, aut aliter putrefiat. Vinum quidem aquosum putrefactioni subiectum, si conseruata eius substantia coctum fuerit, hoc saltem erit utile, alioquin non laudatum, quod humorem corruptibilem non creabit: sed acumen eius aqua electa temperãdum erit. Vinum uerò quale probauimus, Isaac ex antiquorum sentẽtia theriacis magnis inquit esse persimile. Quod, ut diximus, temperatũ, habitudinẽ corporis frigidam calefacit, refrigerat calefactam, humefacit siccum, humidiorẽ uerò desiccat, atq; (ut Galenus ait)

naturalem humorem recreat, calorem fouet, utrunque cõ temperat. Miscere uerò uinum eiusmodi magis necessariũ est iuuenibus, minus senibus: frigidis uerò senibus minimè. Frigida nanque duráq; senectus (ut inquit Plato) ita mero feruet atque mollitur, sicut uel igne ferrum, uel aqua lupini. Quod diximus per uinum opposita fieri, atq; deßiden tia temperari, scito etiam per glycyrhizam fieri, sed debi lius: Fieri etiam per oleũ rosaceum, sed extrinsecus. Hæc ergo tibi familiaria sunto. Neq; diffidas quicquid & qua litate temperatum est, & uirtute potens, posse reliqua tẽ perare, sicut frigus alia frigefacere, id in primis habere temperamento Iouis quo etiam saluberrima sunt. Sed de his alibi disputandum.

Diæta, uictus & medicina senum. Cap. 8.

QVi septimum iam septenariũ impleuerunt, quin quagesimum attingentes annum, cogitent Venerem quidem significare iuuenes, Saturnum uerò senes: atque has apud Astronomos stellas inter se maxime omnium inimicas existere. Rem ergo ueneream Saturnij fugiant, quæ iuuenibus etiã uitæ plurimũ detrahit. Nõ. n. natis consulit, sed nascituris: ipsasque etiam herbas statim producto semine siccat. Præterea frigus aeremq; nocturnum lætiferum sibi putent, atque eum omnino uictum seruent, ex quo sanguinem plurimum sperent, spiritúmq; quamplurimum, ex uitellis uidelicet ouorum recentibus, uino aliquantum quidem dulci, odorifero uerò quampluri mum. Nã hic uitellus proprie cordis sanguinẽ, uinũ præcipuè spiritũ recreat. Carnibus electiß. coctúq; facillimis omni summatim utantur diæta, calidũ pariter & humidũ augente. Spiritũ odoribus præsertim uini aßidue recreẽt.

Aer nocturnus uitandus.

Vigiliam & inediam ſitimque deuitent: laborem rurſus corporis atque animi, & ſolitudinem & mœrorem. Muſicam repetant ſi forte intermiſerint, nunquam intermittendam. Ludos quoſdam & mores quoad decet olim ante actæ pueritiæ reuocent. Difficillimum namq; eſt (ut ita dixerim) reiuueneſcere corpore, niſi ingenio prius repueraſcas. Itaque in omni etiã ætate magnopere conducit ad uitam nõnihil pueritiæ retinere, & oblectamẽta uaria ſemper aucupari. Lõgum uerò profuſumq; riſum minime: ſpiritum nanq; nimis ad exteriora dilatat. Sed redeamus ad ſenes. Hi præterea ſi frigeant, fomenta petant aromatica & calida ſimul atq; humida. Meminerint puerile nõ eſſe, puerile illud Auic. fomentum, factum quidem à Dauide, ſed tardius forte factum. Fomentum ſeni mirificum Medulla recentis adhuc calentis panis infuſo maluatico uino cum puluere mẽthæ, appoſita ſtomacho, & ſæpe ad olfactum adhibita. Nam & medulla eiuſmodi etiam ſola Democrito iamiam expiraturo retinuit ſpiritum quoad placuit fugitiuum. Præterea frictionibus utantur leuibus, ſeu quandoq; lauacris nutrimentum prouocantibus ad extrema. Nucleos ante oĩa pineos uidelicet ablutos, familiares habeant. Hoc. n. nutrimẽtum medici ueteres ſenibus aptiſſimum probauerunt. Calidum. n. & humidum eſt & pingue, & oẽm lenit aſperitatẽ, atq; ſimul, quod mirum eſt, dum naturalem humorem auget, interea ſuperfluum deſiccat, putridumq; expurgat humorem. Sunt qui nucleorum eiuſmodi drachmam unam, quotidie poſt cibos exhibent ſenibus comedendam. Ego drachmam quoque alteram ieiuno ſtomacho ſenibus exhiberem, uel recens, calens, auratum, pinucleatum. Componerem quoq; electua

Oblectamenta uaria ſeni captanda.

Diog. Laertio auctore.

Fomẽtum ſeni mirificum.

rium hoc pacto: Sume amygdalarum dulcium mundarũ unciàs quatuor, tantundem eiusmodi nucleorum pistaciorum duas, unam seminum cucumeris, unam nucum auellanarum mundarum, contunde, coque unà cum cãdidiss. saccharo, cui tamen addideris unam zinziberis recentis conditi drachmam, croci dimidiam, musci tertiam, ambræ tantundem, saccharũ, aquã melissæ, id est citrariæ rosarumq; fundito, multa auri fõlia his adhibeto. Huius. n. usu quotidiano, uitã senes ualidiorẽ longioremq; cõsequentur. Possunt & in mẽsa hoc accipere & pluribus horis ante mensam. Vtilius autem tunc erit, si quid albi odoriq; uini unà cum confectione eiusmodi biberint. Temporibus uerò calidioribus saccharum rosaceum unà cum auri fõlijs, & cõditæ myrobalani uitam senibus prorogabunt. Theriacam nemo dubitat ad idem humidis conuenire personis atque temporibus. De cuius usu satis in libro superiore dictum. Nemo etiã negabit his prodesse admodum radices enulæ beeniasq; radices, albas similiter atque rubeas, maxime uerò recentes: illam quidem pro nutrimento, has etiã pro aromate: & omnia simpliciter calida, humidaq;, & aromatica simul & styptica, simulq; pinguia. Certũ est senes electo glycyrhizæ succo familiariter uti debere. Tradunt enim glycyrhizam esse humani corporis calori pariter et humori persimilẽ: præterea uarijs senum morbis opitulari. Lac quoque amygdalinum, & amidus cibus familiaris esto, & saccharum atque passulæ. Rasis trypherã ex myrobalanis Indis, emblicis, belliricis confectam. Itẽ myrobalanos Indos cõditos saccharo, non solum ad retinendã. sed etiã ad retardandã senectutẽ ualde probat. Auicenna laudat trypherã myrobalanorum maiorẽ atque minorẽ.

Myrobalani senectutẽ morantur.

Rursus. Confectionem de squama ferri, maxime uerò auri. Iubet quotidie mandere myrobalanos præcipuè chebulas rite conditas, ad differenda senectutis incommoda.

De naturis aromatum & cordialium necessarijs: Et rursum qualis senum uictus.

Cap. 9.

Aromata cordialia.

SCito myrobalanis uarias inesse uirtutes. Vnam quæ mirabiliter superfluum exiccat humorem, unde canitiem prohibet. Secundam quæ humorem colligit naturalem, & à corruptione simul & inflãmatione tuetur, unde uitam producit in longum. Tertiã quæ styptica aromaticáque potẽtia, uirtutem & spiritũ naturalem & animalem congregat & fouet, & roborat. Hinc aliquis uitæ lignum in paradiso myrobalanũ forte fuisse putabit. Simile quiddam fermè faciunt aurum & argentum, corallus, spodiúmq;, & pretiosi lapilli, quãuis pro aromatica uirtute facultatem efferant illustrandi. Tu uerò memẽto aromatica tunc maxime prodesse nobis ad uitam (ut suprà significauimus) quando cum uigore quodam aromatico humida sunt pariter atq; calida, lentorémque pinguẽ habẽt, cõmodum augmẽto: quales sunt in primis radices beeniæ albæ, similiter atque rubentes, præsertim recẽtes. Aut saltem quando cum uirtute quadam subtili odorifera, & acuta, substantiam densam habeant, & stypticam ualde proprietatem, qualis utique compositio inter cordialia frigida primũ myrobalanis inesse uidetur & succino. Deinde rosis et succo, & semini citri. Tertio sandalis & coriãdris, atq; myrto, cæterisq; similibus. Inter calida uerò cordialia zedoariæ, ligno aloes, citri cortici, et chariophylis, nuci muscatæ, maci, olibão, mastici atq; doronico: qualẽ ẽt

ſaluiæ experimur ineſſe. Tradunt ambrã & muſcũ ſtypticam habere uirtutem. Zinziber autem ob quandam eius humiditatem, præſertim recens & cõditum, ſenibus ſæpe prodeſt. Sed hoc & chariophylus propter caloris uehementiam, caute uidetur accipiendum. Zedoaria quoq; caute, tametſi theriacæ ſimilis iudicatur, & ſtypticam ſimulatq; pinguẽ naturã habet, ſenibus cõmodiſſimã. Ambra propter calorem quaſi temperatum tutò firmè ſumitur, ac propter lentorẽ cum ſtyptica ſubtilitate miſtum, prærogatiuam habet ad uitam in membris & ſpiritibus confirmandam: tũ uerò ſi ex ea fiat aqua, cutis q; lauetur, digeſtionem quartam reſtituit, ac morbos eius defectu contingentes expellit. Aromatica uerò quæ ſubtilem admodum ſubſtantiam habent, qualem cinnamomũ crocus, cordialibus frigidis et durioribus ſunt miſcenda: Nã aromatica, ſi tantum calida ſubtiliaq; ſint, & ſola ſumantur, naturalẽ calorem nimis excitant, humorẽq; diſſoluũt. Neceſſaria tamen ſunt, tũ frigidioribus & humidioribus epulis cõcoquendis, tũ cordialibus duris ad præcordia transferendis. Te nanq; latere nõ debet, humorẽ ipſum uitæ neceſſariũ primas in corde ſedes habere, & arterijs uenisq; eiuſdẽ: quod Iſaac perſpicue docet: atq;, ut Auicenna probat, hic humor naturali cæterorum membrorum humore frequẽter irrigatur atq; fouetur. Quapropter cauẽdum eſt, ne membri illius humor caſu quopiam arefiat: multoq; magis, ne præcordiorum humor comminuatur. Atque ut nutrimenta uel fomenta, & cordialia omnia per anguſtos meatus ad præcordia latiſſime perſtrantur, his inſere crocum. Vt uerò ſiſtantur ibi, myrobalanos adhibe. Vt autẽ conſequaris utrunque, accipe inter calida muſcum atque

Ambræ facultas

ambrã: inter frigida rosas atq; myrtum. Memento dulce marathrum senibus profuturum: Nam & nutrimentum per membra diffundit, & qua facultate lac, eadem humorem auget naturalem. Vnde Dioscorides marathro serpẽtes ait annuam exuere senectutem. Probamus et saluiam. Hæc enim naturæ uirtutem temperate calefacit et firmat, paralysim propulsat. Probamus & moderatum conditi zingiberis usum, habet enim cum calore pinguedinem.

Marathrũ dulce senibus prodesse

De auro, et aureis alimẽtis, et reſocillatione senũ. Ca. 10.

Alimenta aurea

AVrum omnes ante omnia probant, tanquàm omnium rerum temperatißimum, & à corruptione tutißimum: Soli quidem propter splendorẽ, Ioui autem propter temperaturã cõsecratum: ideoq; posse calorem naturalem cũ humore mirifice tẽperare, humores à corruptione seruare, Solarem & Iouialem spiritibus et membris inferre uirtutem. Verumtamen oportet durißimam auri substantiam, subtiliorem facere, penetratuq; facillimam. Nouerunt enim cordialia tunc maxime latentem cordis recreare uirtutem, quando in eis attrahendis minime laborat. Vt autem minime fatigetur, uel subtilißima iam effecta, uel cum subtilißimis sunt exhibenda. Optimum fore putant, si absq; aliena permistione aurum potabile fiat: Sin minus posßit, contusum, & in folia redactum accipi uolunt. Aurum fermè potabile habebis (ut dicam) Collige flores boraginis, bugloſſæ, melissæ, quam citrariã nominamus: & quando luna Leonem subit, uel Arietem, uel Sagittarium, aspicitq; Solem, aut Iouem, coque cum candido saccharo, aqua rosacea liquefacto, & pro qualibet uncia insere diligenter auri folia tria. Ieiunus cũ uino quodam aureo sume. Item aquam ex capone destillantem

Confectio aurata

foco

foco uel aliter consumpto unà cum Iuleb sume rosaceo, in quo auri folia quædã antè contuderis. Præterea in nitidissimã fontis aquam aurũ extingues ignitũ, cũ eadem auri cõtundito folia. Eadem uinũ aureũ temperato, & unà cũ eiusmodi potu comedito recentem oui uitellũ. Facile uerò in tota corporis arbore seruabis humorẽ, si in radicibus cõseruaueris. Accipe igitur gallinarũ & pullorum eiusmodi atq; caponum cor, iecur, stomachũ, testiculos, atq; cerebellũ, coque aqua modica, minimo sale: Cocta cõtunde ex tota carne, & toto iure & saccharo, addito recẽtis oui uitello, fac placentam modico cinnamomo crocóq; cõditã, et auratã. Hac uescere esuriẽs semel, saliẽ quarto quoque die, et tũc quidẽ sola. claro tamẽ ad potũ addito uino.

De usu lactis sanguinisq; humani pro uita senum. Cap. 11.

SAepe post decimum statim & nõnunquam post nonum septenarium arbor humana arefacto paulatim humore tabescit. Tũc primum humano iuueniliq; liquore irrigãda est hæc arbor humana, quo reuiuiscat. Eliges ergo puellã sanam, formosam, hilarẽ, tẽperatam, et sa melicus lac eius sugito crescente luna, statimq; comedito marathri dulcis modicũ puluerẽ saccharo rite cõfectum. Saccharum quidem lac in uẽtre cogi uel putrefieri nõ pmittet, marathrum uerò cum & subtile sit & lactis amicum, dilatabit ad mẽbra. Quos Hectica senilis exedit, medici diligentes liquore humani sanguinis, qui arte sublimi destillauit, ad ignem reficere moliuntur. Quid ergo prohibet, quò minus senio iam quasi cõfectos ĩterdũ hoc etiã potu reficiamus? Cõmunis quædã est & uetus opinio, aniculas quasdam sagas (quæ & striges uulgari nomine nũ- Lac senibus ex usu

Infantium sanguinem cur sugant sagæ

cupantur) *infantium sugere sanguinem, quo pro uiribus iuueneſcant. Cur non & noſtri ſenes omni uidelicet auxilio deſtituti, ſanguinem adoleſcentis ſugant? uolentis inquã adoleſcentis, ſani, læti, temperati, cui ſanguis quidem ſit optimus, ſed fortè nimius. Sugant igitur more hirudinum ex brachij ſiniſtri uena uix aperta, unciã unam aut duas. Mox uerò ſacchari uinique tantundem ſument, idque eſurientes & ſitibundi facient creſcente luna: Si crudus ægre cõcoquatur, cõcoquatur prius unà cũ ſaccharo, uel ad aquã calidã moderate deſtillet ſaccharo miſtus, deinde bibatur.*

Sacchari facultas

Fouere quoque ſtomachũ tũc ſanguine ſuillo præſens auxilium eſt: quem utique ſanguinem è uena ſuilla fluentem ſpongia calente uino madefacta combibat, & ſtomacho ſtatim calens admoueatur. Galenus atque Serapio morſum rabidi canis ſanguinis canini potu curari dicunt. Rationẽ uerò illis aſſignare non placuit. Ego igitur biduũ eã quæritans, opinor denique ſaliuã canis rabidi uenenoſam impreſſam hominis pedi læſo, per uenas paulatim ad cor aſcendere, more ueneni, niſi quid interea diſtrahat. Si igitur interim canis ulterius ſanguinem ille biberit, ſanguis ille crudus ad multas horas natat in ſtomacho, eũ denique uelut peregrinum deiecturo per aluũ. Interea caninus ſanguis iſte ſaliuam caninam ſuperiora membra prenſantem prius quàm ad præcordia ueniat, deriuat ad ſtomachũ: Nam & in canino ſanguine uirtus eſt ad ſaliuam canis attrahendam, & in ſaliua uiciſſim uirtus ad ſimilem ſanguinem proſequendum. Venenum igitur à corde ſemotum, ſanguinique imbibitum in aluo natanti, unà cum ſanguine per inferiora deducitur, hoĩémque ita relinquit incolumẽ.

Quorſum hæc? Primo quidem ut rei tam occultæ, ſuccur-

rentem interdisserendũ causam aperuerim: Deinde ut mo neam, sanguinem potari posse, & quidem salubriter: atq; in sanguine humano uirtutem esse qua humanum sangui nem attrahat, & mutuo prosequatur: Ne forte diffidas iu uenilem sanguinem à sene bibitum trahi ad uenas mem bráque posse, ibique prodesse quamplurimum.

De diæta, habitatione, & consuetudine senum. Cap. 12.

MEminisse decrepitos expedit, naturam debilem non esse nutrimentorum pondere fatigandã, uel etiam epularum diuersitate nimia distrahẽdam: Nam & iuuenilis ætas hoc uitio fit citò senilis. Diuidant ergo mensas, nec tam multa naturam alimonia quàm fre quenti reficiant, interuallo tamen interim ad digestionem dato. Nam sæpe etiã postquàm stomachus ipse cõcoxerit, nisi et iecur quasi digesserit, sumere nutrimentum, naturã distrahit atq; fatigat: qua quidẽ lassitudine sæpius frequen quentata, aduolat intempestiua senectus. Senes hyeme ue lut oues aprica petant, æstate uelut aues amœna riuósque reuisant. Frequẽter inter uirentes uersentur plãtas, & sua uiter redolentes: hæ nanq; uiuentes, spirantésq; conspirãt ad spiritũ hoĩs augendũ. Ad loca uerò cõiter apibus amica cõfugiant, melláque hyeme degustent. Mel. n. cibus est senibus in primis amicus, nisi ubi bilis timetur incẽdium. Amicus caseus recẽtissimus, amici dactyli, ficus, passulæ, cappares, dulcia, punica, zizipha: hyssopus, scabiosa, be tonica, sed pistacia multo magis. Pinei uerò nuclei maxi me oĩum, sicut diximus. Ex quibus plurimũ referent adiu mentum, si eos horas duodecim in aqua paulum calida te neant prius quã edant: Sic enim stomacho non nocebunt.

Et senũ ui ctũ in mul tas partiri ablationes Galen. sua det.

Ac præterea, si dum his utuntur, etiam inter pineta & oliueta uitésque uersentur, aut saltem pini uaporem accipiãt & odorem. Item gummi lachrymáque pini cum oleo uel uino corpus sæpe deliniant. Probabile.n. est arbores lõga naturaliter uita dotatas, præsertim si etiã hyeme uiresc ãt, ad lõgam tibi uitam umbra, uapore, nouo fructu, ligno et tẽpestiuo quolibet usu prodesse. De aũalibus aũt longæuis suprà diximus. Iam uerò ad idẽ tibi fortè cõducet, si uiuas plurimum penes eos qui sani, tibi sano natura sint similes & amici: ac magis fortsan, si paulò iuniores. Vtrum uerò Sanis cõui & qũo frequens adolescentum consuetudo parumper senium retardare ualeat, pudicus Socrates consulendus. uere conducit.

Quæ adminicula senes à planetis accipiant ad omnia membra fouenda. Cap. 13.

VErum consulite potius soliciti senes Apollinem, qui Socratem Græcorum sapientissimum iudicauit. Consulite Iouem insuper atque Venerem. Phœbus ipse artis medicinæ repertor, nucem muscatam uobis fouendo stomacho dabit: Iuppiter cum Phœbo mastichen atque mentham: Venus uerò corallum. Fouendo rursum capiti, Phœbus pæoniam, thus, amarachum, & cum Saturno myrrham: Spicam nardi macémque Iuppiter: Venus denique dulce marathrum atque myrtum. Ad cor uerò fouẽdum accipietis à Phœbo quidem citrariam, crocum, lignum aloes, thus, ambram, muscum, doronicum, modicum chariophylorum, citri corticem, cinnamomum: ab Ioue lilium, buglossam, ozimum, & menthã, beeniásque radices, & candidas pariter & rubentes. A Venere sola quidem myrtum & sandalum atque rosam: unà cum Saturno coriandrum. Hæc uos contundite

diligenter: Et quæ ſtomachi ſunt, cydoniorum oleo in formam ceroti conficite: Quæ uerò capitis, oleo ſpicæ perfundite, ac illinite ceruicem, tempora, frontem. Quæ deinque cordis, aureo uino ſpargite, aquáque roſacea, eáq; foris præcordijs admouete. At iecur in primis creando ſanguini neceſſarium, neſcio quo prætermiſimus. Huic ergo ſemper Eupatorio & opobalſamo Phœbus opitulabitur: Piſtaceis Iuppiter atque paſſulis: Venus aũt hepatica, endiuia, ſpodio, cicorea, Lieni tandem fouendo Saturnus ille ueſter unà cũ Ioue capperim dabit uobis, ſcolopendriam, tamariſcũ: Sicut ueſicam Iuppiter cũ Venere, pina glycyrhiza, amido, cucumeris ſeminibus, malua, althæa, mãna, caſia, curat. Saturnũ uerò uerẽdum pluribus, ne adeò uos fugite ſenes. Hic. n. quàm peregrinus eſt iuuenibus, tã uobis domeſticus erit. Vt igitur totũ ipſe quoque uobis corpus uegetet pro uiribus, atque confirmet, accipietis nonnunquã ab eo regnante, pariterq; à Phœbo mumiã ſimul, & anſeris aſſi pulpam: hæc anſeris adipe modico delinite, cõtundite diligenter. Myrobalanorum chebulorum atque Indorum melle concoquite, ambra, muſco, croco condite, credentes medicinarum ad uitã conferentium uitam eſſe fidẽ: Quã ſperetis & Deũ ſupplicantibus uobis adſpiraturũ, & res ab eo creatas, præſertim cœleſtes mirificã proculdubio ad augendã uel cõſeruandã uitã habere potẽtiã. Saturnus ſenibus domeſticus.

De confabulatione ſenum ſub Venere per uirentia prata. Cap. 24.

SEd à grauioribus his numinibus ad Venerem parumper uos per hortos & prata ſenes uirentia reuoco. Ad almam Venerem uos omnes aduoco, non ludentem quidem uobiſcum, ſed iocantem. Hæc & no-

bis inquam, & mihi iam ſeni, primo quidem iocoſum hoc fundit oraculum. Ego filij (ſi neſcitis) uoluptate motúque uobis uitam dedi. Ego igitur uoluptate quadam motúque & ſi non ſimili, uobis ſeruabo uitam. Eandem quoque ſeruabit libertate. Liber uitis ſator, propagator uitæ. Liber ipſe ſemper odit ſeruos, & quam uino promittit uitam, ſolus liberis implet longam. Meæ quidem uitæ ſimulatq; mẽti quondã profuit regnante Saturno diminuta mẽtha, placetq; quotidie. Vobis aũt maior mentha menti uitæq; prodeſt, diminuta nocet. Riſum ex meis hortis legite, negligite ſicũ. Has uerò uiolas quãdo carpitis, carpere uos exiſtimate lilia, prehendentes lilium, comprehẽdere crocum. Crocum a Phœbo Iuppiter ipſe nactus propagauit in liliũ. Liliũ ego à Ioue ſuſcipiẽs, in has quas hic uidetis, uiolas transformaui. Denique roſa quidẽ uobis eſto Lucifer, Heſperus uerò myrtus. Poſt oraculũ nobis cogitandũ, mandat rerum uiridium naturam quatenus uirent, non ſolam eſſe uiuam, ſed etiam iuuenilem, humoréque prorſus ſalubri, & uiuido quodam ſpiritu redundantem: Quapropter odore, uiſu, uſu, habitatione frequenti iuuenilem inde ſpiritum nobis influere. Inter uirentia uerò deambulantes interim cauſam perquiremus, ob quã color uiridis uiſum præ cæteris foueat, ſalubriterq; delectet. Inueniemus tanCur uiridis color præter cæteros uiſũ afficiat uoluptate.
dẽ naturã uiſus eſſe lucidã ac lucis amicam, uolatilẽ tamen ac facile diſſipabilẽ. Idcirco dũ per lucẽ ſe dilatat uelut amicam, interdũ nimio lucis exceſſu rapi prorſus, & uehementi dilatatione diſſolui: tenebras autem naturaliter uelut inimicas fugere, ideóque radios in anguſtum inde retrahere. Optat uerò uiſus ita perfrui lumine, ut per amicum hoc ſuum amplificetur quidẽ, nec tamẽ interim diſſi-

petur. Iam uerò in quocunq; colore plus admodũ tenebrarum ſiue nigredinis eſt quam lucis, non dilatatur, nec ideò delectatur radius uiſus ad uotum. Vbi uiciſſim plus admodum ſplendidi coloris eſt quàm nigri, ſpargitur latius, noxia quadam uoluptate diſtractus. Quamobrem color uiridis, maxime omnium, nigrum cum candido temperans præſtat utrunq;, delectans pariter atq; conſeruans: et molli inſuper & adhuc tenera qualitate, ſicut & aqua radij oculorum abſq; offenſione reſiſtit, ne abeuntes longius diſperdantur. Quæ. n. dura ſunt, ſimul et aſpera, frangunt quodãmodo radios. Quæ uerò rariſſima ſunt, diſſolutioni aditũ patefaciunt. Sed quæ ſoliditatem aliquam habent, lenémque ſimul æqualitatẽ, ſicut ſpecularia corpora, nec ipſa quidem frangunt, neque longius diſperdi permittũt. Quæ denique præter hæc beneficia, tenera quoque ſunt et mollia, ſicut aqua rés q; uirides, liquidis oculorũ radijs mollitia blandiuntur. Denique uiſus radius quidam eſt in quadã oculorũ aqua naturaliter nobis accenſus: ac temperatũ lumen in aqua quodãmodo reſiſtente requirit. Itaque gaudet aqua, delectatur ſpeculis ſimilibus, uiridibus oblectatur. In quibus ſanè uiridibus ſolis lumen inſitum adhuc uernũ ſecum habet humorem, aquámq; ſubtilem occulto quodam lumine plenam. Ex quo fit etiam ut color uiridis cum tenuatur, in croceum reſoluatur. Quorſum hæc? Vt intelligamus frequentem uiridium uſum, ſiquidẽ uiſus ſpiritũ recreat, qui in animali ſpiritu quodãmodo præcipuus eſt, animalẽ quoq; reficere. Atque etiam meminerimus, ſi color uiridis, quia inter colorum gradus medius atque tẽperatiſſimus eſt, tantum animali ſpiritui prodeſt, multo magis quæ per qualitates temperatiſſima ſunt, naturalem

& uitalem ſpiritũ iuuatura, atq; admodum profutura nobis ad uitam. Nihil in mũdo tẽperatius eſt quam cœlum, nihil ſub cœlo fermè temperatius eſt quàm corpus humanum, nihil in hoc corpore temperatius eſt quàm ſpiritus. Per res igitur temperatas uita permanẽs in ſpiritu recreatur, Spiritus per temperata cœleſtibus conformatur. Deniq; diſcamus ex temperie uiridis, quæ illuminando æque congregat animalem ſpiritum atq; dilatat: ideóq; maxime iuuat, nos quoq; in cordialibus eligendis, componendis, utendis, aromatica, ſubtilia & acuta, quæ ſpiritum extendere; uel etiã illuminare ſolent, quod facit crocus atq; cinnamomum, cum aromaticis ſemper ſlypticis congreganti búsq; ceu myrobalanis, & ſimilibus cõmiſcere, atq; uiciſſim. Neq; prætermittere quæ abſq; acumine etiam aromatico ſimul utrunq; conficiunt, aliquanto uidelicet dilatant, atq; admodum congregant, multúmq; illuminant, quæ & alias narrauimus, quod efficit aurum, argentum, ſpodiũ, corallus, electrum, ſericũ, precioſi lapilli, inter quos hyacinthus uel ore detentus ob Iouialem temperiem plurimum comprobatur. Cum enim ſub terra nequeant ſpecioſiſſima, & quaſi cœleſtia procreari abq; ſummo quodam beneficio cœli, probabile eſt rebus eiuſmodi mirificas cœlitus ineſſe uirtutes. Compoſitio uerò eiuſmodi, quæ dilatando & illuminando ſpiritum æque congregat, ita delectat eum intrinſecus atq; recreat, ſicut foris uiriditas oculos, atq; ipſum etiam apud ſenes in naturali quadam uiriditate diutiſſime ſeruat, quaſi laurum, oliuam, pinum etiã hyeme uirentem. Tantóq; magis id efficit, quo efficit & interius, atq; maxime ſi compoſitio talis aromatico flagret odore, alliciátque ſapore. Proficto ſicut corpus ex

crassioribus humorum partibus compositum in quintam redigitur formam, ita spiritus ex subtilissimis eorundem portionibus constitutus formam habet quintam naturaliter temperatissimam atq; lucidam, ideóq; cœlestem. Atque in hac ipsa forma conseruandus est, ut subtilis quidem sit, & interea firmus, sicut diximus. Sit omnino lucidus, sed etiam quodammodo solidus. Ac præterea rebus odoriferis, firmis, lucidis, assidue foueatur, si uitam cupimus conseruare quæ uiget in spiritu, & uendicare nobis cœlestia dona. Hæc hactenus iussu Veneris contemplati, Venerem ipsam audiuisse putemus.

Prosopopœia Mercurij, senibus consulentis circa uoluptatem, odores, cantus, & medicinas. Cap. 15.

INterea dum inter senes ipsa quasi Venus confabularetur, forte quidem hactenus satis belle, deinceps uerò prolixius forsan fabulatura foret. Sermonem hũc his Mercurius uocibus, sermonum author interpellat. Quid nam uobis est cum Venere istac semp puella senes? Quid rursum Veneri cum sermonibus? Nónne mei simulátque uestri sunt sermones? Mea ratio pariter atque uestra? Audite me igitur eadem nunc attentione, qua illam, & multo maiore insuper attentione quàm Venerẽ. Quinque scitis esse sensus, uisum, auditum, olfactum, gustũ, tactũ. Esse rursum quinque (ut ita dixerim) discite rationes. Dũ. n. per quinque sensus quotidie imbuitur uobis animus, rationésque inde rerum ipse cõcipit, interea notiones habitúsque ad res iudicandas quinque, tãquam rationes quinque resultant. Præterea sicut quinque hinc quidẽ sunt sensus, ĩde uerò quodãmodo rõnes: ita uitæ tenor qnq; gradibus

circa sensum rationemq; disponitur. Vnde quinque numerantur ætates. Prima quidem sensu tantum trahitur. Secunda, sensu magis admodum allicitur quàm ratione ducatur. Tertia post hæc alternis pariter rationis & sensus persuasionibus agitur. Quarta, ratione potius quàm sensu ducitur. Quinta tandem ratione tantum regi debet. Prima igitur ætas atque secunda tanquàm subiecta Veneri, Venerem, si placet, loquentem audiat, reliquæ uerò Mercurium. Ego igitur reliquos uos omnes alloquor, nõ pro me quidem tantum, sed pro Diana etiam hac, quam ad sinistram meam cernitis: nempe cum hac elinguis sit, ego uerò bilinguis, iure pro hac ipsa, cuius ego linguã habeo, loquor. Vnam profecto noxiámq; Venus uobis indidit uoluptatem, qua noceret quidem uobis, prodesset uerò futuris, exhauriẽs paulatim uos per latentem quandam quasi fistulã, aliudq; uestris liquoribus implens atq; procreans: uos tandem quasi uetustum quoddam spolium cicadarum iam exhaustum humi relinquens, cicadæ interim teneriori prospiciens. Nónne uidetis quod Venus de materia uestra generat esse recens quiddam & uiuum, sensúq; prædi tum? Surripit ergo uobis iuuẽtutem et uitam atq; sensum, ex toto inquam corpore per totius uoluptatem, ut efficiat inde totum. Ego interim materiæ illius quæ quartæ digestioni supereſt qualitate monitus, uos commoneo, alimenta similiter quarta digestione cocta plurimum uitæ uestræ succurrere. Ouum recens uidelicet integrum & sorbile unà cum saccharo exiguóq; croco: Lac humanum, uel suillum, uel caprinum cum pauculo melle sumptum. Atque hæc duo tunc salubriora sunt quando natiuo adhuc calore flagrant: Etsi ouum aliam mox cocturam desiderare ui-

Vitæ quinque gradus

detur, præsertim in stomacho minus ualido, sed leuiter est coquẽdum. Verũ utparumper ad Venerẽ redeamus: si qñ uidistis Venerem, iuuenilem admodum uidistis, & quasi meretricis fucis & ornatibus expolitam. Hæc ergo quæ noua semper est, noua semper affectat, odit uetera, facta destruit, unde construat faciẽda. Hæc rursum (si dictu fas est) quasi meretrix nõ uno quouis est cõtenta uiro: uul gus amat, & ut dialecticé loquar, speciei paßim potius quàm individuo suffragatur: tã uero neq; tactu tantũ uos præcipitat, sed etiã gustu fallit quotidie, perditque deceptos. Quos.n. uos in rebus sapores percipitis mediocri quadã tẽperie gratos, hos Diana hæc Apollinis Iouisq; munere tradidit. Illecebras uero saporum miras, quibus quotidie uelut hamo capti clàm miseri uitam perditis, Venus insidiosa fabricat. Quid igitur Martẽ incusatis? Quid Saturnum? Mars quidem raro admodum uobis palamq; nocet: Saturnus quoq; sæpius uultu se profitetur hostem, nocet tardius, tempusq; remedijs nulli negat. Sola Venus palàm ut amica uenit, clàm inimica uenit. Hanc igitur incusate potius, si quẽ inter superos incusare licet. Ad multiplices huius insidias, tũ oculis Argi uosipsos instruite, tũ Palladis clypeo uos munite. Aures aũt ad blãdas pollicitationes eius tanquàm ad lethales Syrenum cãtus obstruite. Hunc deniq; prouidentiæ florẽ à me accipite, quo Circes huius ueneficia deuitetis. Hæc uobis duas uix tandem, & has quidẽ lœthiferas pollicetur uoluptates potius quã largitur: ego uerò beneficio patris atq; fratris quinq; promitto, uobis, quinq; præsto, puras, perpetuas, salutares, quarũ infima est ĩ olfactu, superior ĩ auditu, sublimior ĩ aspectu, eminẽtior ĩ imaginatione, in rõne excelsior atq; diuinior.

Quò maior delectatio in tangendo percipitur atque gustando, eò uitæ grauius frequenter accidit detrimentum:

Duæ citæ mortis ansæ.

Contrà uerò quanto maiorem in olfactu uoluptatem & auditu atque uisu, item imaginatione & sæpe ratione quotidie reportatis, tanto fila uitæ longiora producitis. Verũ sicut in blandimentis tangendi atque gustandi cauendam uobis, subdolam admonui Venerem: sic in ipsa secretiore, nimisque aßidua contemplatiuæ mentis delectatione cauete Saturnum. Illic enim frequenter filios ipse suos deuorat. Nam quos sublimiorum contemplationum suarum rapit illecebris, et illic agnoscit ut suos, hos interim (si modo diutius gradũ ibi sistant) falce quadã è terris amputat, terrenamq; incautis uitã sæpe surripit. Hoc saltẽ Venere interim indulgentior, quòd Venus quidẽ uitã quã tibi detrahit, donat alteri, nihil tibi pro detrimẽto restituens. Saturnus aũt pro uita terrena, à qua separatus ipse, te denique separat, cœlestem uitam reddit atque sempiternã. Hoc ipso similes esse uidentur inter se Venus atque Saturnus, qui sanè quàm Aquario gaudet, tã regnat in Libra, quòd homines & hic, & illa generãdi libidine uexat, nocetque uexatis, ut inde posteritati prosit. Sed hæc quidem fœcundat corpus, stimulatque fœcundum. Ille mentem suo semine grauidam urget ad partum. Vos igitur prouerbij memores, Ne quid nimis, aßiduis prudentiæ frænis parturiẽtis utriusq; libidinem cohibete. Tametsi multo citius grauiusque ille lædit, quos tædio, torpore, mœrore, curis, superstitione premit, quàm quos supra uires corporis morésque mortaliũ eleuat ad excelsa.

Corporis & animæ æqualitas seruanda.

Oĩno uerò seruate moneo quod æquus Iuppiter Pythagorã docuit & Platonẽ, Humanã uitam in quadã æquali animæ ipsius cũ corpore

proportione seruari utrunque suis quibusdam alimentis in exercitationibus ali, ac similiter augeri. Siquis alterutrum educatione præcipue sua multo robustius altero tandem efficit, non mediocrẽ facit uitæ iacturam. Propterea quicunque inter res medicorũ arte laudatas potißimũ eas eligit, quæ corpori simul & ingenio prosunt, maximum uitæ sibi uendicat adiumentum. In earum uerò numero uinum, mentham, myrobalanum, muscum, ambram, zinziber recens, thus, aloen, hyacinthum, similésque lapillos, herbásue consimiles esse putate, & quæ ad utriusque utilitatem à medicis pariter cõponuntur. Sed lõgioribus his quandoque interceptis ambagibus, ego quoque medicus huc acceßi. Si sapores ex rebus accepti non ultra uiuentibus: item odores ex aromatibus tã siccis uitáque uacuis, multum ad uitam conferre censentur, quidnam dubitatis odores ex plantis, radicibus adhuc suis hærẽtibus uiuentibusque: mirũ in modũ uitæ uires accumulaturos? Deniq; si uapores exhalãtes ex uita dũtaxat uegetali magnopere uitæ uestrę prosunt, quãtũ profuturos existimatis cantus, aerios quidẽ, spiritui prorsus aerio, harmonicos harmonico, calẽtes adhuc uiuósque uiuo, sensu præditos: sensua li rõne cõceptos, rationali? Hãc ergo uobis à me fabricatã trado lyram, cantũque cum ipsa Phœbeum, solamen laborum, diuturnæ uitæ pignus. Sicut enim res qualitate tẽperatißimæ, simulque aromaticæ, tũ humores inter se, tum spiritum naturalem se cum ipso contẽperant: sic odores eiusmodi uitalem spiritum, sic rursum similes quoque concentus spiritum animalem. Dũ igitur fides in lyra sonósq;, dũ tonos tẽperatis in uoce, similiter spiritũ uestrũ intus contẽperari putate. Ac ne ipse Venere sim auarior. Cantus solamen laborum

quæ ſine Baccho friget, ab hoc ipſo Libero patre per me nectar hoc accipite. Qui præcipue inter uos frigent temporibus ſimilibus bis ſeptimo quoq; die uncias uernacei, uel maluatici dulcis meri duas ſumant cum una panis uncia, tribus ante menſam horis. Semel autem drachmam unam ſublimis aquæ deſtillantis ex uino cum Iuleb roſacei ſemuncia. Quo quidē liquore illinire etiam cutem, & ad olfactum uti cōmodiſſime poſſunt. Atque ut poſt eiuſmodi nectar Ambroſiam quoque uobis afferam, hanc inſuper acceptam ab Ioue largior medicinam. Quatuor myrobalanorum uncias accipite chebulorum, tres roſacei ſaccharī, conditi zinziberis hyeme quidem unciam, æſtate uerò ſemunciam. Tria hæc cum emblicarum melle concoquite ſuauiter, ſeptémque auri fōlijs exornate. Ieiuni bolū ante prādiū quatuor horis accipite. Anno ſaltē ītegro quotidie id aſſumite, ut inde uelut Aqlæ renouetur ueſtra iuuētus. Hactenus quaſi Mercuriū locutū exiſtimemus.

Confirmatio ſuperiorum: Et uitandi coitus, aſſiduæq; cogitationis præcepta. Cap. 16.

Venus & Saturnus inimici planetæ.

Astrologi Venerē & Saturnū inimicos inuicē eſſe ferunt. Cū uerò in cœlo ubi omnia amore mouentur, ubi defectus eſt nullus, odium eſſe nequeat, inimicos, id eſt effectu diuerſos interpretamur. Mittamus in præſentia reliqua. Ecce nūc Saturnus quidē nobis in centro, Venus aūt in circūferētia poſuit uoluptatē. Voluptas uerò ſpirituū eſca quædam eſt. Igitur ex oppoſito Venus atque Saturnus ſpiritus noſtri uolatū aucupantur. Illa per uoluptatem ſuam allicit ad extrema, hic interim per ſuam ad intima reuocat. Diſtrahunt itaq; ſpiritum, ſi fermè eo-

dem tempore moueant atque dißipant. Quamobrem nihil contemplatori uel curioso pestilentius, quàm uenereus actus, nihil uicißim hunc sectanti alienius quàm cura & contemplatio esse potest. Contemplatorem uerò physicũ, religiosúmque eodem in gradu connumeramus: Et gradu simili quẽlibet in negocijs suis ualde cogitabundum, grauibúsque curis obnoxium. Hinc rursus efficitur, ut siquẽ Saturnia uel contemplatione nimium occupatum uel cura pressum, leuare interim & aliter consolari uelimus, per ueneros actus, ludos, iocos, id tentantes tanquàm per remedia longe distantia frustra atque etiam cũ iactura conemur. Atque uicißim siquẽ uenereo uel opere perditum, uel ludo iocóque solutum moderari uelimus, per Saturniam seueritatem emendare non facile ualeamus. Optima uero disciplina est, per quædã Phœbi Iouisque, qui inter Saturnũ Venerémque sunt medij, studia similiáque remedia homines ad alterutrũ declinantes: ad mediũ reuocare. Sed ut tandẽ simus medici. Sicut flãma duobus cõmuniter modis uiolentis extinguitur, aut uelut difflatæ uentis, aut cõtra quasi cõpressa cineribus: sic spiritũ uel celeriter effectu uenereo dißipamus, uel sensim Saturnio suffocamus, ac sæpe exprimimus cõprimendo, paritérque resoluimus. Spiritus utique frequẽter ad extima uolans, intima reddit uel uacua uel aliena uitæ. Sed ad intima sæpe coactus, cætera circum mẽbra præstat uitæ minus idonea. Citam igitur senectutem, tum Venus interioribus nostris, tũ Saturnus exterioribus ĩfert. Venus quidẽ præcipue, ubi ex quo uis eius motu facile corpus debilitatur atque labascit. Saturnus quoque potißimũ, quando ex quocunque cõtẽplationis officio uel cura, labore, ingenij corporis q́; uires la

Saturnus Venúsque æque fugiendi

Spiritũ distractio mala

Senectutẽ præproperam ad ferũt Venus & Saturnus

befactantur: etsi uel qui ad contemplationem, uel qui ad libidinem natus est, plerunq; ad suum uterque officium est natura fortißimus. Natura enim sæpe coniungit cum uoluptate simul & facilitate potentiam: Vnusquisq; igitur se cognoscat, suiq; ipsius moderator ac medicus esto. Coitum quidem frequentaturi cæteros consulant. Ego uerò exercitaturis ingenium libro etiam superiore consului: de

Odores spiritũ recreant

nique omni diæta, omnibus remedijs uti debent, quibus membra, spiritus, sensus, ingenium, memoria confirmentur: cogitationes per interualla repetere, nec expectare uel minimum ex cogitatione laborem: maxime uerò cum primum canescunt, quanuis nonnulli sint, qui nõ tam debilitate naturæ uidelicet adhuc iuuenes canos emittunt, quàm uel ægritudine, uel ægrotatione aliqua præcedente, aut etiam parentum similitudine, à quibus scilicet iam canescentibus fuerint generati.

Medicinæ senum, & de habitatione iterum atq; diæta. Cap. 17.

CHaldæorum regula est forte probanda ad iuuentutem recuperandam, peregrinos humores imbibitos corpori expurgare gradatim, tum interiores cõpetẽtibus medicinis, tũ exteriores frictionibus et lauacris pro

Senũ purgationes

uocationibusq; sudoris, intereaq; salubribus duraturisq; alimentis paulatim corpus implere. Sunt autem qui trochiscis quibusdam ex uipera factis, uel helleboro præparato, promittunt humores oẽs ueteres putridósque prorsus educere. Quibus expurgatis, & humore rursum salubberrimo alimẽtis salutaribus recreato, restituere iuuentutẽ. Et q cautiores sunt, helleboro gallinas pascũt, hominẽ uerò gallinis. Eiusmodi uerò curationem tanquàm periculosam

losam in iuuẽtute arbitror potius quàm in senectute tentã dam, ne forte iuuentutem illam à Medæa Peliæ, seni promissam experiamur. Nam & iuuenes medicinis exquisite purgantibus citò senescere Hippocrates asserit. Sed ubi diæta non sufficit, clystere uel manna, uel aloe præsertim lota securus uteris. Si tibi sit aluus astrictior, manna cum iure caponis myrobalanicq; uirtute: Sin minus, hac te iuuenem etiam in senectute purgatione seruabis. Sume unciam lotæ aloes unam, myrobalanorum emblicarũ drachmas duas, chebularum quoq; tantundem, duas item rosarum purpurearum, masticis quoq; tantundem, maluatico uino confice pilulas, quando luna feliciter collocata, propitio fruitur Iouis aspectu, præsertim si domicilia fixa poßederit uel ipsa, uel Iuppiter. Hæc. n. ad diuturnitatem uitæ magnopere cõferũt. Potes etiam utiliter Reubarbarum hic cum aloe cõponere. s. dimidiam aloes partẽ, dimidiam reubarbari, & quoties opus fuerit, unam manè sumere pilulã ad tres usq; uel quinq;, modicũq; insuper uinũ bibere. Vbi uerò pituitã magis times potes cõmode ĩ his pilulis trochiscorum agarici tertiam partem accipere unà cũ tertijs aloes duabus, omisso reubarbaro. Sed primã illã ego iam multis annis pilularũ cõpositionem omni ætati experior esse tutißimã. Eadẽ hora cõfectionem eiusmodi facito. Sume myrobalanorũ, emblicarum, belliricarum, Indarum, chebularum, unciam, uniuscuiusq; unam: cinnamomi uerò duas, unam quoq; doronici, rosarum purpurearum unã, sandalorum rubeorum duas, unã croci drachmam, tertiam drachmæ partem muſci, ambræ tantũdem: candidum post hæc cum aqua rosacea succoq; citri fundito saccharum: coque, fac bolos, auróq; inuolue. Hoc ante

prandiũ quatuor horis sumẽtes atq; dantes, utiliter experti sumus ad uirtutẽ corroborandam, ad illustrandũ spiritum atq; firmandũ. Maxime uerò proderit si paulũ quid insuper uini aurei biberis. Proderit et sæpe calefactum panẽ aureo mero & rosacea aqua perfundere, et modico insuper cinnamomo saccharóq; uberiore condire. Frequenter etiam duo hæc cum lacte amygdalino et modico pane miscere: nam eiusmodi mistiones naturã referunt Iouialẽ. Præter omnia quæ in superioribus explicauimus, uel saltẽ significauimus, ab ijs, omnes urbani diligenter cauere debent, æstu, gelu, quolibet uel postcalorẽ frigore uel nocturno, nebulis uentis, uel ex palude flantibus, uel irrũpẽtibus ex angusto: locis itẽ ubi aer uel mouetur uiolentius, uel nullo modo mouetur: Habitatione quauis humidiore, fœtore, mœrore, torpore. Diligentius aũt Mercurij sectatores, diligentißime senes. Qui præterea postq̃ manè corpus totũ leuiter pfricuerint, delinient ipsum acuersum aeris & laboris incõmoda calẽte oleo uel uino quopiã subamaro, cui prius infuderint myrrhã et rosam atq; myrtũ. Saluiam frequenter ore ferant, neruis ac dentibus amicißimam. Et qñ dentiũ uitio liquida, uelut infantes, alimenta repetere cogantur, molliſsima caueant. Lac quidem uino referant moderato. Vtãtur igne dũtaxat ut medicina, quã tum uidelicet expellendi frigoris & suscitandi caloris innati necessitas postulat, alioquin tanquã edace humorẽ naturalem exiccaturo. Solem uerò quoad delectat, sequãtur ut alimentum, destillatione uitata, et æstu similiter declinato. Faciles quidẽ motus diligant, excitãdo calori admodũ necessarios. Labores autẽ corporis oderint, et multo magis animi: nec minus longã sitim, & inediã atq; uigiliam,

De nutrimento spritus, & conseruatione uitæ per odores. Cap. 18.

LEgimus in calidis quibusdam regionibus, ac plurimo passim odore fragrantibus, multos gracili corpore & imbecillo stomacho, quasi solis odoribus ali. Fortè quoniã ipsa natura loci, tum herbarũ & frugũ atque pomorũ succos fermè totos redigit in odores, tum corporũ humanorũ humores illic resoluit in spiritũ. Cum igitur uterque, uidelicet odor & spiritus sit uapor quidã, & simile simili nutriatur, nimirũ & spiritus & spiritalis homo, plurimũ ab odoribus accipit alimentũ. Nutrimẽtũ uerò qualecunque id sit, per odores siue fomentum, apprime senibus & gracilibus necessariũ est, quo defectũ alimenti solidioris atque uerioris utcũque cõpensare possimus. Ambigere tamẽ nõnulli solẽt, utrũ spiritus odoribus nutriatur. Ego autẽ opinor solis forsan ita nutriri, ut nisi alimẽta quæ crassa sunt, digestione tãdẽ in uapores extenuẽtur. spiritus ipse, quẽ diximus uaporẽ esse, nullũ illinc susciꝑiat nutrimentũ. Itaque uinũ odore plenũ, spiritũ subitò recreat, quẽ cætera uix tandẽ reficere possunt. Vaporẽ uerò illũ in quẽ cibi cocti denique transferũtur, ideò appellamus odorem, quoniã & odor ubique uapor quidã est: & hic tractus intus ex alimẽtis uapor, nisi spiritui quo dã odore placeat, uix ullum spiritui exhibet alimentũ. Quamobrẽ Auicennã nostrũ ualde probamus dicentẽ, corpus quidẽ dulcedine spritũ uerò quadã (ut eius uerbis utar) aromaticitate nutriri: Quoniã crassitudo corporis nõ nisi crassa natura, qualis est ĩ dulcedine, coalescere ualeat: Tenuitas uerò spiritus non alio quã fumo quodã atq; uapore, quo aromatiticas ipsa uiget, refici possit.

Simile simili nutri ri.

Aromaticam uerò qualitatem dicimus odoram, & acutam, & quodammodo ſtypticam. Proinde quoniam iecur quidē corpori per ſanguinem alimentum præſtat, dulcedine plurimū augetur. Cor aūt quia & creat ſpiritū, & ſpiritui procreat alimentum, meritò deſiderat aromatica. Expedit tamen & aromatica pro corde cōdiri dulcedine, & dulcia pro iecore aromaticis cōmiſceri, dulcedinemq; interea nimiā euitare. Quid plura? Gal. ipſe ſecutus Hippo. ſpiritum nō ſolum odore putat nutriri, ſed aere. Aere inquam non ſimplici, ſed potius opportune permiſto. Quibus quidem ſi fidem habebimus, nec alimentorum, nec rei ullius delectum magis ad uitam neceſſarium, quàm aeris nobis accōmodati, eſſe cenſebimus. Aer. n. & inferiorum & cœleſtium qualitatibus facillime ſemperq; affectus, & immenſa (ut ita dixerim) amplitudine circumfuſus, perpetuóque motu nos undiq; penetrans, ad ſuam nos mirabiliter redigit qualitatem: præſertim ſpiritum, præcipue uitalem in corde uigentem, in cuius penetralia, tum aſſidue influit, tū repēte: ſic protinus afficiēs ſpiritū ut eſt affectus: perq; ſpiritū uitalem qui & materia & origo eſt ſpiritus animalis, pariter afficiens animalem. Cuius quidem qualitas maximi momenti eſt ingenioſis eiuſmodi ſpū plurimū laborātibus. Itaq; ad nullos potius quā ad eos attinet puri luminoſiq; aeris odorumq; delectus, atq; Muſicæ. Hæc. n. tria ſpiritus aīalis fōmenta præcipua iudicantur. Potiſſimus uerò ad uitā eſt aer electus. Nā octauo menſe nati in Aegypto plurimi uiuunt: & nonnulli in Plagis Græciæ tēperatis ſaluberrimi aeris beneficio, quod Ariſtot. narrat, & Auice. confirmat. Sed profectò ſicut corpus ex uarijs cōpoſitum, uarijs (quanuis non eadē menſa) nutriendum

Spūs aīalis tria fōmenta.

est alimentis: ita spiritus similiter cõpositus uarietate quadam aeris semper electi oblectandus est atque fouendus. Simili quoque electorum odorum uarietate quotidie recreandus. Nam aer & odor quasi spiritus quidam esse uidẽtur. Iam uero Alexander & Nicolaus Peripatetici unà cum Galeno concludunt spiritum uitalem & animalẽ ideò utriq; misti esse atq; conformis, & utrunq; haustũ in præcordia penetrare, ibi coqui temperariq; ad uitam, perq; arterias diffundi. Vbi uterq; coctus iterum nutrit spiritum (ut aiunt) utrunque, præcipuè aĩalem. Aiunt etiã spiratum aerẽ non solum refrigerando calori prodesse, sed etiam nutriendo. Nam & aĩalia etiam ualde frigida spirãt. Addunt aerẽ crassiorem spiritui naturali tanquàm magis corporeo conuenire: subtilem uerò, purum, lucidum, spiritui potius uitali, potissimum aĩali. Neq; mirum uideri debet spiritum adeò tenuẽ rebus quoq; tenuibus ali. Siquidẽ & piscipuli multi aqua nitidissima nutriũtur, & ozimum in aqua simili uiuit, crescit, floret, redolet. Mitto quibus elemẽtis chamæleontem & salamandram nutriri, nõnulli ferant. Redeamus ad nostra. Interest certè quamplurimũ qualem spiremus aerem, quales hauriamus odores. Talis.n. et spiritus in nobis euadit. Eatenus uerò nos oĩa per uitã uegetat, quatenus spũs harmoniã seruat cũ aĩa cõcinentẽ. Spiritus quidẽ in nobis primus uiuit & maxime, & quasi uiuit solus. Nõne repẽti no quodã sæpe casu uel affẽctu, uita sensus, motus subitò membra deserunt, regresso uidelicet ad cordis, penetralia spiritu? & sæpe statim reuertuntur ad membra, per frictiones & odores illuc spiritu redeunte, quasi uita in ipso spiritu, uidelicet re uolatili potius insit quàm humori-

Spũs nutriri per odores.

Spũ cura habẽda

bus aut membris. Alioquin propter horũ crassam tenacitatẽ tardius admodum accederet uita mẽbris atque recederet. Quicunque igitur uitam in corpore producere cupitis, spiritũ in primis excolite: hunc augete nutrimentis sanguinẽ augentibus, tẽperatũ uidelicet atque clarũ, hunc aere semper electo fouete, hunc quotidie suauibus odoribus alite, hũc sonis & cantibus oblectate: sed interea odores cauete calidiores, frigidiores fugite, capesite tẽperatos, frigidos calidis, siccos humidis temperate. Odorẽ uerò omnẽ, quia pars corporis subtilissima est, scitote non nihil habere caloris, atque ex rebus quæ ipsæ nutriunt, odores sperate potius nutrituros, ut ex aromatico pyro pomóque persico, similique pomo: magis autẽ recente pane calẽte, maxime carnibus assis, quàm maxime uino: atque si ut sapor qui mirifice placet, plurimi uelocisque nutrimẽti causa est uel occasio corpori, sic odorem ad spiritum se habere putate. Cõmemorare uobis iterũ placet Democritũ iamiã expiraturũ, ut obsequeretur amicis spiritum ad quatriduũ usque olfactu calentiũ panũ retinuisse, ulterius etiã, si modo placuisset, spiritũ seruaturũ. Sunt & qui dicũt id mellis odore fecisse. Ego, si modo usus est melle, existimo illum mel uino liquefactũ albo, calentibus panibus infudisse. Neque enim spernendus est mellis odor. Flos nãque florum mel existit, nec parũ nutrit ipsa dulcedine, ac diu qualitate sua res integras à putrefactione tuetur. Itaque si quis nouerit hoc etiã ad cibũ ita uesci, ut nec dulcedine nimia meatus oppleat, nec tali quodam calore bilem exaugeat, certũ habebit, longioris uitæ subsidiũ. Saltẽ igitur cõdimentũ hoc frigidis & humidis adhibete. Verum ut uos reuocem ad odores: Vbicunque suffocationem, cõ-

Odor nutriens.

preßionémq; ſpirituũ nimiam extimeſcitis, quod mœror frequens torporq; portendit, odores circunfuſos amat. Vbi uerò fugam exhalantium ſpirituũ expaueſcitis, odores potius iſuſos nutrimẽtis accipite. Et ſiquid odorũ præterea foris ſumitis, uelut clypeum coſtis duntaxat admouete ſiniſtris. Nónne uidetis quàm repente ſurſum uel deorſum ad odores ſe matrix ipſa præcipitet? quàm uelociter ad os, ad nares ſpiritus aduolet, ſuauis odoris eſca pelectus? Vbi igitur ſpiritus uel exiguus uel fugaciſſimus eſſe deprehenditur, quod puſillanimitas ſæpe declarat corporisq; debilitas, uel parua de cauſa multa contingens, odoribus non tam extrinſecus obiectis, quàm intrinſecus inie ctis allicite, immo potius paſcite, retinete. Odorem uerò uini ante oẽs eligite. Multum nanq; nutrit ſpiritum odor exhalans ex natura tum plurimum & uelociter nutriente corpus, tum uoluptate ſenſum afficiente. Tale uerò uinum eſt præ cæteris calidum, humidũ, & odorũ atq; clarũ. Tale etiam ſaccharũ eſſe dicerem, ſi ſumat odorẽ. Cinnamomũ quoq; ſimile & doronicũ, aniſumq; & dulce marathrum, ſi acumini ſuo ad exiguam dulcedinẽ adderent ampliorem. Sed quam temperiem natura non fecit, uobis ipſi conficite. Et quoties diſtractionem ſpirituũ formidatis, calidioribus acutioribusq; & ſubtiliſſimis adhibete, quæ cohibere parũper uolatum ſpiritus ac ſiſtere ualeãt, ceu croco, cariophylis, cinnamomo, aduſtũ panẽ, roſaceã aquã, acetúmq; roſaceum, roſam, myrtũ, uiolam, ſandalum, coriandrum, cydonium pomum atq; citrum. Horreo uerò camphoram, ubi contra canitiem eſt agendum. Recentem uerò ſemper mentham diligo, menti etiam ſalutarem ſpiritui q; tutiſſimam. Deniq; memẽtote res omnes ueneno cõ

Meaticis ad odores mutatio

Odor uini ãte omnes nutrit

Spiritus diſtractionẽ remorãtes medicinæ

Veneno trarias, esse uitæ admodum salutares, non gustu tantum, contraria sed etiam odoratu, maxime theriacam. Has uerò in libro esse uitæ sa contra pestilentiam enarrauimus, narrabimus & in libro lutaria sequenti. Inter eas autem, nequid uos lateat, numeramus & uinum. Nam sicut homini uenenum est cicuta, ita cicutæ uinum, non simul quidem, sed paulò pòst ebibitum. Ac ne solis uos odoribus hic alliciam, componendum uobis mãdo electuarium quotidie manè gustandum, olfactu gustúq; suaue, & uitæ admodum salutare. Accipite tres chebularum uncias, unam emblicarum, & Indarum unam, unaq; bellericarum, semiunciam uerò doronici, cinnamomi uncias duas, croci drachmam unam, ambræ partem, drachmæ tertiam, muschi quoq; tantundem. Contundite diligenter. Tantum rosacei sacchari adhibete, quantum gustui satisfacit. Sandalorum rubentium quantum sat est coloris: mellis item emblicarum uel chebularum quantũ mol li expedit electuarij formæ, auri fõlia totidem quot prædictæ sunt unciæ. Vbi uerò difficilior est compositio multiplex, experti sumus simplicem hanc optimam esse. s. ex chebulis, marathro dulci, saccharo aqua rosacea liquefacto: sumptam uerò tum ieiuno stomacho, tũ post cœnam.

Mirobalani conditi meliores

Memineritis autem myrobalanos conditas meliores esse, siccas uerò saltem diem integrum oleo amygdalarum dulcium uel butyro uaccino prius infundite quàm confletis. Probat et Auicenna uobis confectionem ex emblicis atq; Indis cum melle anacordorum coctóq; butyro. Item chebulas cum zinzibere & squama ferri, et potius auri. Probat item Petrus Aponensis compositionem ex croco, mace, castoreo, per partes acceptis atq; contusis, & uino cõmistis. Vnde affirmat uitam etiam propemodum moribũ

dis produci consueuisse. Deniq; Haly Astrologus medicúsque excellens, asserit usu tripheræ similiúmque rerum uitam effici longiorem. In omni uero triphera myrobalanus fundamentum est, sed hanc temperant subtilibus quibusdam atq; mollibus, præsertim ubi siccior est myrobalanus, et ut penetret, nec meatus obstruat, nec aluũ exiccet nimium uel adstringat. Cum uino præterea cõmodißime utimur, sed modico, ne forte diluat. Compositionem uerò Petri, quam modo narrabam, si modò utilis est, arbitror olfactu potius quàm potu utilem fore.

Magorum medicina pro senibus. Cap. 19.

MAgi stellarũ obseruatores, ad Christum uitæ duce stella duce uenerunt, pretiosum uitæ thesaurum offerentes, Aurum, thus & myrrham, tria dona pro tribus Planetarum dominis stellarũ domino dedicantes. Aurum quidem pro tẽperamento Iouis, maximè omnium temperatũ. Thus autẽ pro Sole præcipue Phœbeo calore simul odoreq; flagrans. Myrrham deniq; firmantem corpus atque conformantem pro Saturno omnium firmißimo Planetarum. Huc igitur omnes ad sapiẽtes Magos uenite senes, munera uobis quoque uitam productura ferentes, quibus authorem uitæ quondam uenerati traduntur. Venite senes, inquam, senectutem grauiter tolerantes. Venite & uos præterea quoscunque senectutis propemodum aduentantis formido solicitat. Accipite precor alacres uitalia dona. Sumite uncias quidem thuris duas, unam uerò myrrhæ, auri rursum in fólia ducti dimidiam drachmæ partem, contundite tria simul, conflate, cõfundite in pilulas, aureo quodam mero, idq; tunc opportune conficite, qñ Diana propitio Phœbi uel Iouis gaudet

Magorũ medicina

aſpectu. Sumite poſthac theſauri tanti aurora qualibet portiunculam, ac exiguo perfundite meri potu, niſi forſan incaluerit æſtas, tunc enim aquam roſaceam bibere præſtat. Siquis autem interuos calorem quouis tempore magis metuat, is myrobalanum chebulum aut emblicum æqualem ad thuris myrrhæque, et auri ſimul pondus adijciat. Hoc humorem proculdubio naturalem à putrefactione tuebitur. Hoc humoris reſolutionem longius propulſabit. Hoc tres in uobis ſpiritus, naturalem, uitalem, animalem fouebit, confirmabit, corroborabit. Hoc rurſum uegetabit ſenſum, acuet ingenium, memoriam conſeruabit.

Medicina magica, p ſenibus

De periculis uitandis ex quolibet uitæ ſeptenario imminentibus. Cap. 20.

CVm aſtronomi ſingulas deinceps diei horas Planetis ordine ſingulis diſtribuerint, ſimiliterq; ſeptem hebdomadæ dies, atq; in ipſo fœtu per menſes digeſſerint officia Planetarum, cur non etiam per annos eadem diſponamus? ut quemadmodum infantem in aluo latẽtem rexit primo menſe Saturnus, ultimo Luna, ſic ſtatim natum ordine iam conuerſo: primo ipſius anno ducat Luna, ſecundo (ſi uis) Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, ſexto Iuppiter, ſeptimo uerò Saturnus: atq; deinceps ordo per uitam ſimilis repetatur. Itaq; in ſeptimo quolibet uitæ anno, fit in corpore mutatio maxima, ideóque periculoſiſſima, quandoquidem & Saturnus nobis cõmuniter eſt peregrinus: & ab eo tunc Planetarum ſummo ad Lunam eueſtigio Planetarũ infimam gubernatio redit. Hos annos aſtronomi græci Climactericos noĩant, nos ſcalares, uel gradarios, uel decretorios appellamus. Fortè uerò in morbis ipſũ humoris uel naturæ

Anni climacterici ſeu decretorij

motum Planetes per dies eodem ordine regunt: unde & septimus quisque eadem ratione Iudiciarius appellatur. Quartus quoq;, quoniam medium in septenario tenet. Tu igitur si uitam producere cupis ad senectutem, nullis eiusmodi gradibus interruptam, quoties septimo cuilibet pro pinquas anno, consule diligenter astrologum: Vnde immineat tibi discrimen ediscito: Deinde uel adito medicũ, uel prudentiã & temperantiam accersito. His nanque remedijs prohiberi minas astrorũ Ptolemæus etiã confitetur. Addit quinetiã astrorũ promissa sic augeri posse, ut agrorũ cultor auget terræ uirtutẽ. Probat Petrus Aponensis argumentationibus multis, & testimonio Aristotelis, Galeni, Haly, naturalẽ uitæ finẽ non esse ab initio ad unguem determinatũ, sed ultrà circáque moueri posse. Idq; asserit tũ ex astris, tum etiã ex materia. Cõcludit his authoribus rationibùsque obitum etiam naturalẽ differri posse, cum astrologiæ machinis, tũ præsidijs medicorũ. Igitur neque nos temere in his præceptis elaboramus. Neque te pigeat perquirere à medicis quæ naturaliter tua sit diæta: & ab astrologis, quæ stella uitæ faueat, & quando hæc bene se habet, & ad eã Luna, cõpone quæ prodesse didiceris. Neque pudeat sæpe illos auscultare, qui nõ tã fortuna quàm uirtute senectutẽ prosperam consecuti uidẽtur. Præterea Ptolemæus, & cæteri professores Astronomiæ, imaginibus quibusdã ex certis lapidibus & metallis sub certo sydere fabricatis, uitã prosperã pollicentur atque longæuã. Verũ de imaginibus qdẽ ex parte, ac plurimũ de reliquo fauore cœlesti cõmentarium cõponimus in Plotinũ, quem librum huic operi deinceps subijciendũ existimamus, quẽ admodum hoc post librum scribi uolumus quẽ De curan-

Annus septimus quisque iudicarius.

Mortẽ naturalẽ differri posse astrologiæ & medicorũ præsidio.

da literatorum ualetudine composuimus. Fauorem uerò cœlestem quem modo dicebam, pro iuuentute longa, nunc quantum quasi Poetæ cuidam licet loqui, quantum rursus Medico licet facere, à Phœbo Bacchóque petemus.

Solis æterna est Phœbo Bacchóque iuuentus,
Nam decet intonsus crinis utrunque Deum.

Phœbus & Bacchus semper indiuidui fratres sunt: ambo ferè sunt idē. Phœbus quidē est ipsa sphæræ illius anima, sphæra uerò Bacchus, īmo & Phœbus est totus ipse sphæræ circus. Bacchus autem est flāmeus ille in hoc circo circulus, īmo uerò Phœbus est almū in hoc flāmeo globo lumen. Bacchus aūt existit ibidē salutaris ex lumine calor. Sēper ergo frēs comites q; sunt, ferè semper alter et idem. Quid uerò? Si sol in Vere quidē Phœbus est, cātu suo tūc autū cātus excitās, citharā rursum tēpora tēperās: in autū no uerò sol idē author uini Bacchus existit. Tria nobis ad seruādā iuuentutē pater ille Liber, q amat colles, Bacchus affert, hos quidē apricos primū colles, in his aūt collibus suauissimū præcipue uinū, perpetuam in uino securitatē. Tria quoq; Phœbus Bacchi frater pari benignitate largitur, diurnū primo lumen, sub fomento luminis herbas sua uiter redolentes: ad luminis huius umbram, citharam cantúmque perennem. His ergo pensis potissimum, his staminibus Clotho nobis iam, non Parca longa uitæ fila producet. Tres Parcas ferè omnes Poetæ canunt. Treis quoque nos non poetæ canimus. Prudens quidem in omni uictu parcitas uitā nobis longam inchoat: constans quoque in curis subeundis parcitas producit uitam: parcitas uerò in cœlo fruendo negligens uitam occat. Tres Pythagoras temperantius ante omnia celebrat: tres etiam nos in

præsentia celebramus. Temperantiam in affectibus conseruato: temperantiam in omni uictu seruato. Temperiem aeris obseruato. Hac. n. prouidētia humorum intēperiem, quæ citæ senectutis & intempestiuæ mortis causa est, aspirante Deo, procul admodum propulsabis. Aspirabit autē author ille uitæ, si ea tantum conditione uitam optaueris diuturnam, ut diutius cum genere humano uiuas, tum maxime uiuas illi, quo mundus totus inspirante uiuit.

MARSILII FICINI FLORENTINI, IN LIbrum tertium, De uita cœlitus comparanda, ad serenissimum Pānoniæ regem epistolare Proœmium.



Philosophi ueteres, rex omnium felicissime, cœlestiū uires inferiorumq; naturas diligentiß. perscrutati, cum existimarēt hominem frustra sapere, qui non sibi sapit, totam meritò perscrutationē suam in primis ad uitā sibi cœlitus comparandā retulisse uidētur, iudicantes (ut arbitror) tum elementa, & quæ ex his componuntur frustra sibi cognita fore, tum motus cœlestium & influxus temerè nimium obseruatos nisi hæc unà cum illis cognita simulatq; coniuncta, aliquando sibi ad uitam felicitatémque conducerent. Profuit autem illis ut uidetur, eiusmodi contemplatio ad uitam primo præsentem. Nam Pythagoras &

Democritus Apolloniusq; Theanæus, & quicunque ad id potißimũ ſtuduerunt, rerũ ſibi cognitarũ uſu proſperã ualetudinẽ cõſecuti ſunt uitãq; lõgæuã. Cõtulit inſuper ad futurã uitã, tũ p gloriam apud poſteros propagandam, tum apud Deũ in æternitate fruẽdam. Siquidẽ ex mirabili mundi totius ordine, eius tandẽ cognouere rectorẽ & ante oĩa cognitum amauerunt. Tibi uerò gloriam per ſecula cuncta futuram, magnanimitas, magnificẽtia, uictoria perpetua pollicẽtur. Vitam quoque apud Deum in æuo beatam diuina clemẽtia, inſigni pietati tuæ iuſtitiæq; promittit. Vitam denique proſperam inter mortales ſatisq; lõgã (quantũ ex indicijs quibuſdã mihi licuit cõiectare) felicia tibi ſydera decreuerunt. Vt autem quod pollicentur id et præſtent firmißima fide, & cumulo inſuper prorogẽt pleniore, diligẽtia tua & medicorũ, aſtrologorumq; cura efficere proculdubio põt. Iã uerò id poſſe ſciẽtia & prudentia fieri doctißimi quique aſtrologi ac medici confitẽtur. Cum igitur inter Plotini libros magno Laurentio Medici deſtinatos, in librũ Plotini de fauore cœlitus hauriẽdo tractantẽ, nuper cõmẽtariũ cõpoſuiſſem, inter cætera in eum noſtra cõmentaria numeratũ, id quidẽ ſeligere nunc, Laurẽtio quidẽ ipſo probãte, atq; maieſtati tuæ potißimũ dedicare decreui. Spero equidẽ dum uitæ proſperitatiq; cõſulã, uitæ interim, & ſplẽdori ſeculi noſtri & humani generis cõſulturũ. Atque ut ualetudini proſperitatiq; regiæ ualidius hæc noſtra prodeſſent per Valorẽ ipſum mittenda putaui. Hunc tu igitur Valorẽ noſtrum clemẽtiß. Rex complectere precor. Tãtum. n. natura, uirtus, authoritas tua ualet, ut abſque te nequeat uel Valor ipſe ualere. X. Iulij MCCCCLXXXIX. Florentiæ.

MARSILII FICINI AD LECTOREM SEQVENTIS LIBRI EXHORTATIO.



Salue hospes ingenioſe. Salue iterum quiſquis es ſalutis auidus, qui noſtra ad limina tendis. Vide precor hoſpes cupide primum, quàm hoſpitalis ſim. Intrantis erat certe, ſalutem ſtatim hoſpitio dicere. Ego uero ſalute præueniens, mox proſpectum ſaluere te iuſſi. Intrantem & adhuc ignotum perlibenter excepi: Trahentem apud me moras, promiſſa (ſi deus aſpirauerit) ſalute donabo. Hoſpitium ergo nactus es amicum quidem omnibus, & amoris nunc erga te plenum. Siquid fortè fers tecum amori cõtrarium, ſiquid habes odij, prius ponito precor, quã medicinas hic uitales attingas, uitã. n. tibi dedit amor, uoluptasq; parentũ: Vitam uicißim demit odium, atq; dolor. Quem igitur odioſus uexat dolor, huic nullus uſquàm medicinæ uitali relictus eſt locus. Quamobrem deinceps te non ut hoſpitem tantum iam alloquor, ſed amicũ. Officina Marſilij tui aliquãto eſt amplior, quã his cãcellis dũtaxat quos hic uides coercea-t ur. Non. n. ſolo hoc libro ſequente, ſed duobus etiam præcedentibus circumſcribitur. Tota uerò ſummatim medicina quædam eſt pro uiribus opitulatura uitæ, ut ualida tibi uita ſit, ut longa. Idq; ubiq; medicorum ope cœlitus adiuta molitur. Varia ſanè pro diuerſis hominum ingenijs atq; naturis noſtra hæc officina, antidota, pharmaca. fomenta, unguenta, remedia profert. Si qua tibi fortaſſe mi-

nus placeant, mittito quidem ista, cætera propterea ne respuito. Deniq; si nõ probas imagines astronomicas, alioquin pro ualetudine mortalium adinuentas, quas & ego non tam probo quàm narro: has utiq; me concedente, ac etiam si uis consulente, dimittito. Medicinas saltem cœlesti quodam adminiculo confirmatas nisi fortè uitam neglexeris, haud negligito. Ego enim frequenti iamdiu experientia compertum habeo, tantum interesse inter medicinas huiusmodi, atque alias absque delectu astrologico factas, quantum inter merum & aquam: ut etiam infans octauo à conceptione mense natus Florentiæ mense Martio, nocte ascendente, Saturno retrogrado semiuiuus, eiusmodi diligentia uideatur à nobis, immo à Deo quasi uitæ redditus potius quàm seruatus, trienniúmque ualidus fermè iam impleuerit. Iam uerò si præter ea generis eiusdem plura narrauero, uera loquar. Nec gloriabundus (quod est à philosopho penitus alienum) sed exhortabundus potius afferam. Verum satis iam partim quidem conciliantes, partim etiam exhortantes alloquuti te sumus. Deinceps igitur cum Plotino loquamur, ita demum tibi diligentius consulturi.

MARSILII

MARSILII FICINI FLORENTINI, LIBER DE VITA COELITVS COMparanda, compositus ab eodem inter Commentaria eiusdem in Plotinum.

In quo consistat secundum Plotinum uirtus fauorem cœlitus attrahens, scilicet in eo quod anima mundi & stellarum dæmonumq; animæ facile alliciuntur corporum formis accommodatis.

CAPVT PRIMVM.

SI tãtũ hæc duo sint in mũdo, hinc quidẽ intellectus, ĩde uerò corpus, sed absit anima, tũc neq; intellectus trahetur ad corpus (immobilis. n. est omnino, caréteq; effectu motionis principio, tã quã à corpore longissimè distãs) neq; corpus trahetur ad intellectum, uelut ad motum per se inefficax & ineptum, longéq; ab intellectu remotum. Verum si interponatur anima utrique conformis, facile utrinque, & ad utraque fiet attractus. Primo quidem ipsa omnium facillime ducitur, quoniam primum mobile est, & ex se & sponte mobile. Præterea cum sit (ut dixi) media rerum omnia suo in se modo continet, & utrinq; ratione propinqua. Ideóq; conciliatur & omnibus, etiam æqualiter illis quæ inter se distant, ab ea uidelicet non distantibus. Præter enim id quod hinc quidem conformis est diuinis, inde uerò caducis, & ad utraq; uergit affectu, tota interim est simul

ubique. Accedit ad hæc quod anima mundi totidem saltem rationes rerum seminales diuinitus habet, quot ideæ sunt in mente diuina, quibus ipsa rationibus totidem fabricat species in materia. Vnde unaquæque species per propriam rationem seminalem propriæ respondet ideæ, faciléque potest per hanc sæpe aliquid illinc accipere, quando quidem per hanc illinc est effecta. Ideóq; si quando à propria forma degeneret, potest hoc medio sibi proximo formari rursum, pérq; id medium inde facile reformari ac si certè cuidam rerũ speciei uel induiduo eius rite adhibeas multa, quæ sparsa sunt sed eidem ideæ conformia. Mox in materiam hanc ita opportune paratam, singulare munus ab idea trahes per rationem uidelicet animæ seminalem. Non enim intellectus ipse propriè, sed anima ducitur. Nemo itaq; putet certis mundi materijs trahi numina quædam à materijs penitus segregata, sed dæmones potius animatique mũdi munera stellarumque uiuẽtium. Nemo rursum miretur per materiales formas aĩam quasi allici posse. Siquidem escas eiusmodi sibi congruas ipsamet quibus alliceretur, effecit, et semper libentérque habitat in eisdẽ. Neque in mundo uiuente toto quicquàm reperitur tam deforme, cui non adsit anima, cui non insit & animæ munus. Congruitates igitur eiusmodi formarum, ad rationes animæ mũdi. Zoroaster diuinas illices, appellauit, quas et Synesius magicas esse illecebras confirmauit. Nemo denique credat ad propriam quandam materiæ speciem & tempore certo hauriri omnia prorsus ex anima dona, sed pro opportunitate dona duntaxat seminis, quo talis species pullulauit, seminũque cõformiũ. Itaque hic hõ humanis tantum adhibitis, non proprias piscium uel aliũm do-

Rationes rerũ similares tot, quot sunt ideæ in mẽte diuina

tes, inde sibi uendicat, sed humanas atque consimiles, adhibitis autem quæ ad stellam talem pertinent atque dæmonē, stellæ dæmonisque huius proprium subit influxum, uelut lignum per sulphur paratum ad flammam ubique præsentem. Atque hunc non modo per ipsos stellæ dæmonisque radios, sed etiam per ipsam mundi animam ubiq; præsentem, in qua & cuiuslibet stellæ dæmonisq; ratio uiget: partim quidem seminalis ad generandum, partim etiam exemplaris ad cognoscendum. Hæc.n. secundum Platonicos antiquiores, rationibus suis ædificauit ultra stellas in cœlo figuras, partésque ipsarum tales, ut ipsæ quoq; figuræ quædā sint, impreßitqúe his omnibus proprietates. In stellis aūt, figuris, partibus, proprietatibus, oēs rerum inferiorū species cōtinētur & proprietates earū. Vniuersales uerò figuras octo posui atq; quadraginta s. in zodiaco duodecim, extra uerò sex atq; triginta. Item in zodiaco triginta sex ad numerū facierum. Rursus ibidē ter centū atq; sexaginta ad numerū graduum. In quouis.n. gradu sunt stellæ plures, ex quibus ibi cōficiuntur imagines. Similiter imagines extra zodiacū in plures diuisit figuras, pro facierū ibidem graduúmq; suorū numero. Cōstituit deniq; ab imaginibus his uniuersalibus ad uniuersales imagines habitudines et proportiones quasdam, quæ ipsæ quoq; imagines illic existunt. Eiusmodi uerò figuræ cōtinuitatē quæq; suā habēt ex radijs stellarū suarum in se inuicē, peculiari quadam proprietate coniectis. A quibus formis ordinatißimis depēdent inferiorum formæ, illinc uidelicet ordinatæ. Sed & cœlestes illæ tanquam & inter se disiunctæ, procedunt à rationibus animæ coniunctis inuicem, & quodammodo mutabiles à stabilibus. Sed hæ quatenus seipsas non

Aīa prædita oīa uiuētia.

comprehendunt, referuntur ad formas in mente uel animali uel eminentiore sese comprehendentes, quæ tanquã multiplices ad simplicißimum rediguntur unum atq; bonum, sicut figuræ cœlestes ad polum. Sed redeamus ad animam. Quando igitur anima gignit speciales inferiorum formas uirésque, eas per rationes efficit proprias, sub stellarũ formarumq; cœlestium adminiculo. Singulares uerò indiuiduorum dotes, quæ sæpe nonnullis insunt tam mirabiles quàm in speciebus esse solent, exhibet per seminales similiter rationes, nõ tam sub adminiculo formarum figurarũq; cœlestium, quàm situ stellarum & habitu motionum, aspectuúmque Planetarum, tum inter se, tum ad stellas Planetis sublimiores. Anima quidem nostra ultra uires mẽbrorum proprias, cõem ubique promit in nobis uitæ uirtutẽ, maxime uerò per cor, tanquam ignis animæ proximi fontem. Similiter aĩa mũdi ubiq; uigens per Solem præcipue suam paßim explicat cõis uitæ uirtutem. Vnde quidam animam & in nobis & in mundo, in quolibet mẽbro totã, potißimum in corde, collocant atq; Sole. Sẽper uerò memẽto, sicut aĩæ nostræ uirtus per spiritum adhibetur membris, sic uirtutẽ aĩæ mũdi per quintã essentiam, quæ ubiq; uiget, tanquam spiritus intra corpus mundanum, sub anima mundi dilatari per omnia: maxime uerò illis uirtutem hanc infundi, quæ eiusmodi spiritus plurimum hauserunt. Potest autem quinta hæc essentia à nobis intus magis magisque assumi, siquis sciuerit eam alijs elementis immistam plurimum segregare, uel saltem his rebus frequenter uti, quæ hac abundant, puriore præsertim, ceu electum uinum & saccharum, & balsamum atque aurum, pretiosiqúe lapilli, myrobalaníque, & quæ suauißimè redolent, &

Gratię tres coniunctæ, Iuppiter, Sol, Venus

Animæ uirtus per qntam eßẽtiã dilatatur.

Eßẽtiæ quĩtæ materies

quæ lucent, maxime uerò, quæ in subtili substantia qualitatem habent calidam, humidámque & claram: quale præter uinum, est albissimũ saccharum, præsertim si huic adhibueris aurum, odoremq; cinnami atq; rosarum. Præterea sicut alimenta rite in nobis assumpta, per se non uiua, reddiguntur per spiritum nostrum ad uitæ nostræ formam: sic & corpora nostra rite accommodata corpori spirituique mundano, uidelicet per res mundanas, & per nostrum spiritum, hauriunt ex uita mundana quãplurimum. Si uoluerís ut alimentũ rapiat præ cæteris formam cerebri tui uel iecoris atque stomachi, simile quantum potes accipe alimẽtum, id est cerebrum, & iecur, & stomachum, animalium ab humana natura non longe distantium. Si optas corpus tuum atque spiritum ex aliquo mundi mẽbro, uidelicet ex Sole, uirtutem accipere, quære quæ ante alia sunt Solaria inter metalla lapillósque, magis autem inter plantas, sed inter animalia magis, maxime inter homines. Similiora. n. tibi magis proculdubio conferunt: Hæc & extra sunt adhibenda, & intus pro uiribus assumenda, præsertim in die et hora Solis, & Sole in figura cœli regnante. Solaria uerò sunt oĩa ex lapillis & floribus quæ heliotropia nominantur, quia uertuntur ad Solẽ. Itẽ aurũ & auripigmẽtum, aureiq; colores, chrysolithus, carbũculus, myrrha, thus, muscus, ambra, balsamũ, mel flauũ, calamus aromaticus, crocus, spica nardi, cinnamomũ, lignũ aloes, cæteráq; aromata. Aries, astur, gallus, olor, leo, cãtharis, crocodilus, homines flaui, crispi. sæpe calui, magnanimi, supiora partim cibarijs, partim unguentis suffumigationibúsq;, partim usui accommodari possunt. Hæc sentienda, & cogitanda frequenter, & in primis amanda. Et luminis plurimũ est

quærendum. Si dubites uentrem ab iecoris fomento deſtitui, trahe ad uentrem iecoris facultatem, tum frictionibus, tum fomentis per ea quæ iecori congruunt, per cicoream, endiuiam, ſpodium, & eupatorium, & hepaticam, atque hepata. Similiter ne deſtituatur tuum corpus ab Ioue, moue corpus in die, horáque & regno Iouis, & utere interim Iouialibus: Argento, hyacintho, topatio, corallo, cryſtallo, berillo, ſpodio, ſapphyro, uiridibus aeriiſque coloribus: Vino, ſaccharo albo, melle, & cogitationibus affectionibuſque plurimum Iouialibus, id eſt conſtantibus, æquis, religioſis atque legiferis. Et inter homines eiuſmodi, ſanguineoſque & pulchros, uenerabileſque uerſator. Sed memẽto primis illis rebus frigidis inſerendum eſſe aurum & uinum, menthámque & crocum, & cinnamomum atque doronicum. Animalia uerò Iouialia eſſe agnum pauonémque, & aquilam & iuuencum. Quomodo uerò uirtus Veneris attrahatur turturibus, columbis, & motacillis, et reliquis, non permittit pudor oſtendere.

De concordia mundi, & de natura hominis ſecundũ ſtellas. Quomodo fiat attractus ab unaquaque ſtella. Cap. 2.

NEque uerò diffidere debet quiſquam, nos atq; oĩa quæ circa nos ſunt, præparamẽtis quibuſdã poſſe ſibi uẽdicare cœleſtia. Nã cœlitus hæc facta ſunt aßiduéq; regũtur, et illinc ĩ primis præparata ſunt ad illa: Et quod maximũ eſt, mundus animal in ſe magis unũ eſt, quã quoduis aliud animal, ſi modo eſt aĩal perfectißimum: Ergo ſicut in nobis mẽbri cuiuslibet præſertim principalis qualitas motuſq; ad alia pertinet, ita mẽbrorum principalium actus in mundo commouent oĩa, & membra inſe-

riora facile capiunt à supremis ultro dare paratis. Quò enim potẽtior causa est, eò promptior est ad agendum, eò igitur propensior est ad dandum. Exigua igitur præparatio nobis insuper adhibita sufficit cœlestiũ muneribus capiendis, si modo quisq; ad id præcipuè se accõmodet, cui est præcipue subditus. Sed ante unusquisq; nostrum proprietatem, humanæ speciei proprietatẽ considerare debemus. Hanc igitur esse solarem astrologi Arabes consenserunt. Quod ego è statura hominis erecta pulchráq;, humoribusq; subtilibus et spiritus claritate, imaginationisq; perspicuitate, studióq; ueritatis & gloriæ, uerũ esse cõiecto. Addo quinetiam proprietatem huic Mercurialẽ, ob strenuum uersatilis ingenij motum: Et quoniã humanũ genus natum nudũ, inerme, omniũ egenum, hæc omnia propria industria sibi comparat, quod est Mercurij propriũ. Addo etiam Iouialem, ob cõplexionem corporis tẽperatam atq; leges: Et quoniã secũdo mense, quò Iuppiter dominatur, uitam accipimus, atq; nascimur nono, quò iterũ recipit dominatũ. Itaq; humana species ab his tribus potissimũ dotes insuper ampliores ita demum sibi poterit uẽdicare, si per Solaria Mercurialiáq; & Iouia, seipsam eis magis ĩdies atq; magis accõmodabit. De reliquis aũt qdẽ Saturnus nõ facile cõmunẽ significat humani generis qualitatem atq; sortem, sed hominem ab alijs segregatum, diuinũ aut brutũ, beatũ, aut extrema miseria pressum: Mars, Luna, Venus, affectus, & actus homini cũ cæteris animãtibus æque communes. Ad Solem igitur & Iouem atque Mercurium reuertamur. Solaria quidẽ nonnulla et Iouia diximus, Mercurialia uerò nescio quo prætermissimus, sunt aũt eiusmodi: Stannum, argentum, præsertim uinum,

Causa potior, prompti ad agendum

Humanæ speciei proprietas

Species humanæ planetis subiectæ

Mercuria lia simplicia

marcaßita argentea, lapis Achates, uitrũ Porphyriticũ, et quæ croceum cum uiridi miſceant, ſmaragdum atq; lacca: Animalia ſagacia et ingenioſa ſimul & ſtrenua, ſimiæ, canes. Homines eloquẽtes, acuti, uerſatiles, oblõga facie, manibusq; nõ pingues. Sunt autem quærenda & exercenda quæ ad aliquem Planetam attinẽt, eo uidelicet dominãte (ut diximus) in die & hora eius ſi fieri poteſt, etiã quãdo ipſe ſit in domicilio, uel exaltatione, uel ſaltem triplicitate ſua & termino & angulo cœli, extra combuſtionem directus, ac ſæpius orientalis, ſi Sole ſit ſuperior, itẽ in Auge, & aſpiciatur à Luna. Siquis autem ab ipſa Luna beneficium & à Venere poſcat, tempora ſimilia obſeruare debebit. A Venere quidem per animalia ſua quæ diximus, & per Corneolam & Saphyrum lapidẽmq; Lazuli, æs croceum atq; rubeum & Corallũ, omnesq; pulchros uariósq; uel uirides colores et flores, atq; cõcentus ſuaueſq; odores atq; ſapores. A Luna p alba & humida & uiridia, per argentum atq; Cryſtallũ & uniones, & argenteã Marcaßitam. Quoniã uerò Saturnus quidẽ ſtatui & pſeuerantiæ dominatur, Mars aũt efficaciæ motus, cogimur nõnũquã horum quoq; gratia ab eis patrocinia poſtulare, tẽporibus uidelicet ſimiliter obſeruatis. Ab illo qdẽ p materias quaſdã quodãmodo terreas et fuſcas atq; plũbeas, & fuſcã laſpidem, & Magnetẽ, & Camoinũ atque Chalcidonium, & ex parte quadã per aurum, & aurea Marcaßitã. A Marte uerò per ignea rubea, æs rubeũ, ſulphurea oĩa, ferrum lapidẽmq; ſanguineum. Neq; diffidas Saturnum habere nõnihil in auro: Nam propter pondus id putatur habere. Quinetiã Soli aurũ ſimile, ſic oĩbus metallis ineſt, ſicut Sol in planetis oĩbus atq; ſtellis.

Veneris gratia quo modo concilietur

Aurum Soiſimile

Iam uerò ſiquis conuicerit Saturnum & Martem natura noxios eſſe, quod equidem nunquam crediderim, tamen his quoque utendum, quemadmodum uenenis nonnunquã utuntur & medici, quod Ptolemæus in Centiloquio probat. Proderit ergo quandoq; uis Saturni caute ſumpta, ſicut apud medicos quæ aſtringunt atq; continent, immo et quæ ſtupefaciunt, ſicut opiũ & mandragora: Martis quoque ſicut euphorbium & helleborus. Cautißimi uerò hac in re fuiſſe uidentur Magi Brachmanes Pythagorici, qui cum ob ſedulum philoſophandi ſtudium Saturni tyrannidem formidarẽt, ueſtibus albis amiciebantur, Iouialibusq; ſiue Phœbeis, quotidie ſonis & cantibus utebantur, pluriműque ſub diuo uiuebant. Vbique uerò memento per affectum ſtudiúmque animi, et per ipſam ſpiritus qualitatẽ, nos facillime ſubitóque exponi Planetis, eundem affectũ ac eiuſmodi ſtudium et qualitatem ſignificantibus. Perſæpe rationem igitur à rebus humanis, per ocium, ſolitudinem, firmitatem, per Theologiam, ſecretiorémque philophiam, ſuperſtitionem, Magiam, agricultură, per mœrorẽ Saturno ſubijcimur. Per ciuilia & ambitioſa negocia, per philoſophiam naturalem cõmunémque, per religionẽ ciuilem, pérque leges Ioui: Marti per iram atque certamina: Soli Mercurióque per ſtudiũ eloquentiæ, cantúsque et ueritatis & gloriæ atque ſolertiam: Veneri per lætitiam et Muſicam et feſtiua, Lunæ per uictum plãtis ſimilẽ. Sed hanc inter hos differentiam mente teneto, exercitationem ingenij magis publicam atque amplam ad Solem ſpectare: priuatam uerò & artificio mancipatã, potius ad Mercurium. Tum uerò Muſicam grauem quidẽ Iouis Soliſq; eſſe, leuẽ Veneris, mediam uerò Mercurij. Similis quoque

Planetarũ ſingulorũ ſtudia

de stellis fixis ratio est. Hæc quidem communis humanæ speciei regula. Propria uerò unicuique regula fuerit explorare quæ stella, quid boni cuique in genitura promiserit, atque ab ea potius quàm ab alia reposcere gratiam. Et ab unaquaque non quodlibet donum, & quod aliarum est, sed eius proprium expectare, nisi fortè tum à Sole communia multa reportes, tanquàm communi quodam duce cœlestium, & ab Ioue fermè similiter, tum mundana pariter omnia ab anima spiritúque mundi. Quem sicut & quoduis animal multò que efficacius animatum esse, non solum Platonicæ rationes, sed etiam astrologorum Arabum testimonia comprobant. Vbi etiam probant ex applicatione quadam spiritus nostri ad spiritum mundi per artem physicam affectuúmq; facta, traijci ad animam corpusq; nostrum bona cœlestia: Hinc quidem per spiritum nostrum in nobis medium, & tunc à mundi spiritu roboratum: inde uerò per radios stellarum feliciter agentes in spiritum nostrum, & radijs natura similem, & tunc seipsum cœlestibus coaptantem.

Quòd inter animam mundi & corpus eius manifestum, sit spiritus eius, in cuius uirtute sunt quatuor elementa: Et quòd nos per spiritum nostrum hunc possimus haurire. Cap. 3.

PRofecto mundanum corpus quantum ex motu generationéque apparet, est ubique uiuum, quod Indorum philosophi probant ex eo, quòd passim ex se uiuentia generet: Ergo per animam uiuit ubiq; sibi præsentem, ac prorsus accommodatam. Igitur inter mundi corpus tractabile, & ex parte caducum, atque ipsam eius animam, cuius natura nimium ab eiusmodi corpore

distat, inest ubique spiritus, sicut inter animam & corpus in nobis: si modo ubiq; uita est cõicata semper ab aĩa corpori crassiori. Talis nanq; spiritus necessariò requiritur tã quàm mediũ, quo aĩa diuina & adsit corpori crassiori, & uitã eidẽ penitus largiatur. Corpus aũt oẽ facile tibi sensibile, tanquã sensibus tuis accõmodatũ, crassius est, & ab aĩa diuinissima longe degenerans. Opus est igitur excellentioris corporis admini culo quasi nõ corpori. Proinde scimus uiuentia omnia tam plantas quam animalia, per quendam spiritum huic similem uiuere atque generare: Atque inter elementa, quod maxime spiritale est, uelocissime generare, perpetuóque moueri quasi uiuens. Sed quæres interea, si elementa atque animantes generant aliquid sibi simile suo quodam spiritu, cur lapides & metalla non generant, quæ inter elementa & animantes media sunt? Quia uidelicet spiritus in eis crassiori materia cohibetur. Qui siquando rite secernatur, secretusq; conseruetur, tanquam seminaria uirtus poterit sibi simile generare: si modo materiæ cuidam adhibeatur generis eiusdem, qualem spiritum physici diligenter sublimatione quadam ad ignem ex auro secernunt, cuiuis metallorum adhibebunt, aurúmque efficient. Talem utique spiritum ex auro uel ex alio rite tractum atque seruatum Elixer Arabes astrologi nominant. Sed ad mundi spiritum redeamus, per quem mundus generat omnia, quandoquidem & per spiritum proprium omnia generant, quẽ tum cœlum, tum quintam essentiam possumus appellare. Qui talis fermè est in corpore mundi, qualis in nostro noster. Hoc in primis excepto, quod aĩa mũdi hũc non trahit ex quatuor elementis tanquã humoribus suis, sicut ex nostris nostra, imò hũc proxime (ut Platonice, siue

Problema cur metalla & lapides non generent.

Elixer.

Plotinice loquar) ex uirtute sua procreat genitali quasi tumens, & simul cum eo stellas, statimq; per eum parit quatuor elementa, quasi in illius spiritus uirtute sint oĭa. Ipse uerò est corpus tenuissimũ, quasi non corpus, & quasi iã aĭa: Item quasi non aĭa, & quasi iam corpus. In eius uirtute minimũ est naturæ terrenæ, plus aũt aqueæ, plus itẽ aeriæ, rursus igneæ stellarisq; quãplurimum. Ad horum gradum mensuras, ipsæ quantitates stellarum elementorumq; prodierunt. Ipse uerò ubique uiget, in omnibus generationis omnis proximus author atque motus. de quo ille:

Spiritus intus alit.

Totus est suapte natura lucidus calidúsque, & humidus atque uiuificus, ex dotibus animæ superioribus dotes eiusmodi nactus. Quem plurimũ hausisse Apollonium Theanæum, testificatus est Indus Hiarchas dicẽs: Mirari nemo debet o Apolloni te diuinandi scientiam consecutum, cum tantum ætheris in anima geras.

Hiarchæ dictum.

Quòd spiritus noster hauriat mundi spiritum per radios Solis & Iouis, & quatenus ipse fiat solaris & Iouialis.

Cap. 4.

HVnc tu igitur studebis tibi ĩ primis insinuare. Hoc enim medio naturalia quædã beneficia reportabis tum corporis mũdani, tum aĭæ, tũ etiã stellarũ atq; dæmonũ. Nam ipse inter crassum mundi corpus, & aĭam medius est, & in ipso stellæ sunt & dæmones, atq; per ipsum. Siue. n. mundi corpus atq; mundana sint ab aĭa mundi proxime (sicut Plotino placet atq; Porphyrio) siue mũdanũ corpus sicut & anima proxime sit à Deo, ut nostris placet, & fortè Timæo Pythagorico, omnino uiuit mun-

dus atque ſpirat, ſpiritúmq; eius nobis haurire licet. Hauritur aũt proprie ab homine per ſuum ſpiritum, illi ſuapte natura conformem, maxime ſi reddatur etiam arte cognatior id eſt, ſi maxime cœleſtis euadat. Euadit uerò cœleſtis ſi expurgetur à ſordibus, & omnino ab eis quæ inhærent ſibi diſſimilia cœlo. Quæ quidem ſordes non ſolum intra uiſcera ſi fuerint: uerunetiam ſi in animo, ſi in cute, ſi in ueſtibus, ſi in habitatione & aere, ſpiritum frequenter inficiunt. Efficietur tandem cœleſtis, ſi ad orbicularem animi corporiſque motum, ipſe quoq; orbes efficiat: Si ad aſpectum cogitationemq; lucis frequentiorem etiam ipſe ſubrutilet: Si adhibeantur ei ſimilia cœlo, ea communiter diligentia qua Auic. in lib. De uiribus cordis ſpiritum curat, & nos in lib. De curanda literatorũ ualetudine curare contendimus. Vbi primum ſegregantur ab eo uapores obnubilantes, medicinis ita purgantibus. Secundo rebus lucentibus illuſtratur. Tertio ita colitur, ut & tenuetur ſimul & confirmetur. Fiet denique cœleſtis maxime quãtum dictat ratio præſens, ſi applicẽtur ei potiſſimum radij influxusq; Solis inter cœleſtia dominantis. Atque ita ex hoc ſpiritu tãquàm in nobis medio cœleſtia bona in primis inſita ſibi in noſtrum tum corpus, tum animum exundabũt: Bona in quam cœleſtia cuncta. In Sole. n. omnia continẽtur. Conferet autem Sol ad ſpiritum ſolarem efficiendum proprie, quando ſub Ariete fuerit uel Leone, ipſum aſpiciente Luna, maxime in Leone, ubi adeò ſpiritum noſtrum uegetat, ut ipſum muniat cõtra uenenum Epidemiæ repellendum: quod perſpicue apparet in Babylonia & Aegypto, & regionibus ſpectantibus ad Leonem, ubi Sol Leonem intrans, epidemiam ſedat, ea duntaxat ratione, qua dixi-

mus. Tunc ergo & tu Solaria passim exquisita compone. Tunc incipe solaribus uti, ea tamen cautione, qua sub æstu exiccationem diligenter euites. Non poterit autẽ facilè spiritus solaris euadere, nisi sit quãplurimus. Ad Solẽ.n. maxime pertinet amplitudo. Quãplurimũ uerò faciet tũ diligẽtia, cor rebus cordialibus intus & extra fouẽs, tũ etiam uictus ex alimẽtis quidẽ subtilibus, multum tamẽ & facile & salubriter nutrientibus. Motus quoque frequens atque lenis, & opportuna quies, aerque tenuis atque serenus, & ab æstu gelúq; remotus, præcipuè lætus animus. Rursum nec Solaris erit, nisi calidus fuerit & subtilis, & clarus. Subtilem clarúmque facies, si tristia & crassa deuitabis et fusca. Vteris lucidis lætisq; intus, & extrà Luminis multum die noctéque excipies: Sordes expelles, & ocium & torporem: In primis tenebras deuitabis. Perducturus autem spiritum ad calorem Soli naturalem, caue ne ad tertium caloris gradum siccitatémque deducas. Calor.n. ipse Solis naturaliter non exiccat: alioquin non esset Sol uitæ generationisq; dominus, & author augmenti: Siccare uerò contingit radijs eius in concauis materiæ siccæ conclusis. Humorem itaque calori subtilem, qualis est Solaris, & maxime Iouius, adhibebis & conseruabis in spiritu, rerũ eiusmodi usu si solarem sis effecturus, ne alioquin ad Martium potius quàm ad Solarem forte deducas. Martem quidem Soli esse similem in paucis & his quidẽ manifestis, nec admodum excellentibus & interim inimicum esse ferunt. Iouẽ uerò Soli simillimum in plurimis excellentibusq; muneribus quamuis occultioribus, & amicissimum esse scimus. Vnde & Ptolemæus ubi de consonantia disputat, Iouẽ ait cũ Sole præ cæteris perfectissime consonare, Vene-

vémque cum Luna. Omnésque astrologi uniuersalem beneficentiam Soli tribuunt similiter atque Ioui. Quamuis Sol eadem efficacius agat, & Iuppiter sub uirtute Solis efficiat. In utroque calor uiget, superátque humorem. Sed in Ioue superat modice, in Sole superat excellenter: utrobique beneficè. Cum igitur adeò consonent, facile poteris spiritum Solarem efficere pariter atque Iouium. ac res Solares & Iouiales rite poteris inuicem commiscere, præsertim si & has inuicem componas, & spiritui adhibeas, quando Iuppiter Solem trino aspicit uel sextili, uel saltem quando Luna ab aspectu alterius ad alterum procedit aspiciendum: Maxime quando ab aspectu Solis ad coitum cum Ioue progreditur. Seorsum uerò Solarem propriè facies uel Iouialem, quando aspectum Lunæ ad Solem obseruaueris uel ad Iouem. Tametsi consecutus naturam huius, naturam mox illius facile consequeris. Sextilem uerò aspectum intellige, quando Planetæ duo inter se signorum duorum spatio distant. Trinum autem, quando quatuor signorum discrepant interuallo. Coniunctionem uerò uel aspectum Lunæ ad alios, duodecim gradibus citrà, totidémque ultrà metimur. Planetarũ aspectus

Quòd tres Gratiæ sint Iuppiter & Sol & Venus, & quod Iuppiter sit Gratia geminarum media, & maxime nobis accommodata. Cap. 5.

COmpositiones quidem, & curationes Iouias, simulatque Solares inuenies in libro nostro de Vita longa, & in libro De literatorum cura. Vbi etiam miscuimus pleraque Venerea. Nam & nos in studiosis timemus exiccationẽ, cui resistit Venus. Et hæc ipsa Venus est amicissima Ioui, sicut & Soli Iuppiter, quasi

Gratiæ tres coniũctæ. Iuppiter, Sol Venus

Gratiæ tres inter se concordes, atq; cõiunctæ. Ab his qui dem tribus cœli Gratijs, et à stellis eiusdem generis Astrologi gratias & sperant, & diligenter exquirũt, easq; per Mercurium atq; Lunã, quasi nũcios trãsmitti putant atq; curant. facile uerò communiterq; per Lunam, Lunam qui dem cum Ioue coniunctam, aut Venere feliciorem esse putant, quàm si per sextilem aspexerit, aut trinum. Verumtamen si per trinum aspiciens etiam susciptiatur ab illis, quasi existimant esse coniunctam. Similiter si à Sole perspecta fuerit simulq; recepta. Nos autem si horum trium, stellarumq; similiũ uires effectusq; omnes percurrere singulatim uelimus, longum opus aggrederemur, exquisitu difficile, difficillimum obseruatu. Si ad Venerem nos propriè conferamus, non facile Solem habemus: Si ad Solem ppriè, nõ facile Venerẽ. Vt igitur tres simul in uno gratias cõplectamur, ad Iouẽ tandem cõfugiemus, inter Solẽ Veneremq; natura effectúq; mediũ, qualitate admodũ temperatum, & quæcunq; sperantur à Venere uel à Sole, suo quodam pacto tradentem, magnificentius quidem honestiúsq; quàm Venus: temperatius quoq; quàm Sol, & in omnibus cum humana natura maxime congruentem. Vtemur itaq; Iouijs, quando & ipse & Luna dignitatem tum naturalem, tum accidentalem habuerint, sinéque simul, uel feliciter se aspiciant. Siquando id fieri omnino non poßit, misce Solaria in unum simulatq; Venerea, faciésq; sic Iouiale ex utrisq; compositum, quando uidelicet Luna à coitu Veneris eat ad sextilem Solis aspectum, uel è cõuerso. Memento uerò in rebus cõponẽdis quæ corspiritúmq; foueant & corroborent. Lunam cõferre potissimum, si unà cum his muneribus hoc etiam habuerit, ut

Iouis gratia inter Solem Veneremq; media

per aeria

per aeria signa discurrat, maxime per Aquarium, quod esse maxime putatur aerium: Vel si in suo domicilio sit, aut exaltatione sua, uel domo Iouis aut Solis: Et ubicunq; sit, si mensionem ex uigenti illis & octo teneat, tum sibi, tum etiam operi competentem.

De uirtutibus naturalibus, uitalibus, & animalibus, et qui Planetarũ singulis aut cõmodent incõmodéntue, idq; maxime per aspectus. Cap. 6.

Planetæ singuli qui bus uirtuti bus cõmo dent offi ciánue

PRæcipua uerò disciplina est, recte tenere quem spiritum, quam uim, quam rem potissimũ hi Planetæ significant. Luna ergo Venusq; uim & spiritum naturalem, atq; genitalem, & quæ hunc augent: Iuppiter eadem, sed efficacius, heparq; & stomachum, habetq; non mediocrem partem in corde & spiritu, uirtutéq; uitali, quatenus suapte natura cum Sole consentit, immò & per seipsum: alioquin cor uitalem spiritum non proprie in mẽ se Iouis acciperet. Vnde Iouem Græci appellant uitam, & per quem uita. Habere quoq; in animali spiritu potestatem testantur Astrologi, dicentes Iouem ad philosophiam & ueritatem inueniendam, religionémq; conferre. Et Plato, ubi ait, ab Ioue philosophos proficisci. Qd' etiam significauit Homerus antiquorum opinione dicens. Talis est mens hominibus, qualem indies adducit pater hominum atq; deorum. Nusquàm uerò numen aliquod ita cognominat præter Iouem. Sol spiritum uitalẽ præcipue, córq; significat, & habet nonnihil, immo non paruum in capite, propter sensum atq; motũ, cuius est ipse dominus, neq; uim deserit naturalem, Mercurius cerebrũ & instrumenta sensuum, ideóq; spiritũ animalẽ. Proinde tutissima uia erit, nihil sine Lunæ beneficio facere. Quandoquidẽ

Iuppiter Græcis ui ta appella tur

cœlestia cõmuniter & frequenter atq; facile ad inferiora demittit, quàm alterum Solẽ nominant, quolibet mẽse quatuor anni tẽpora facientem. In prima enim sui quarta Peripatetici putant esse calidã atq; humidam: in secunda calidam & siccam: In tertia frigidam atq; siccam: In quarta frigidã atq; humidã: Lumẽq; eius proculdubio Solis esse lumẽ: Humores generationẽq; regere, omnésque mutationes fœtus ipsius in aluo cõuersionibus suis metiri, & quoties Soli iungitur, uiuificam ab eo uirtutẽ recipere, quam infundat humori, atq; ibidem à Mercurio uim humores cõmiscentem. Quam uim Mercurius & transformatione in omnes sua & gyris multiplicibus affert. Ibidem mox à Venere uim, quæ cũducat ad formas genituræ cõueniẽtes. Operæpreciũ uerò fuerit meminisse, diurnum Lunæ cursum in quatuor distribui quartas: In prima quidẽ ab Oriẽte ad mediũ ascendit cœlum, atq; interim humorẽ & spiritum auget naturalem. In secũda à cœli medio petit occasum, efficitque in nobis oppositum. Tertia ab occasu cœlum subter medium adit, iterúmq; spiritum illum auget et humorem. Quarta cadit inde uersus ortũ, minuitque uicissim, quod maxime in oceani ripis apparet, ubi ad hũc cursum mare manifestius accedit atq; recedit: eodemque ordine uigor in ægrotãtibus. Probabile etiam est, Solẽ per easdẽ sui quartas ad calorem naturalem, & spiritum uitalem augere, uel diminuere: Animalem quoque quatenus Mercurium habet comitem. His cognitis poterit medicus pro humore & calore naturali, et quolibet spiritu recreando, tẽpora opportuniora seruare. Sed nũc de Luna satis. Neq; dimittere decet iouẽ, in cuius mense altero quidẽ uitã accepimus, altero autem cõmuniter & felicius nati sumus. Et

Opportunitas temporis obseruanda medicis

qui inter Solem atque Venerem, item inter Solē atque Lunam est qualitate effectuque medius, ideoque cōplectitur oīa. Solē uerò ipsum prætermittere cœli dominū, nefas atque periculosum existimamus: nisi forte quis dixerit, eum qui Iouē habet, in Ioue Solē iam habere, illic potissimū ad hoīes tēperatum. In Sole certè oēs cœlestiū esse uirtutes, non solū Iamblichus Iulianúsque, sed oēs affirmāt. Et Proclus ait: ad Solis aspectum oēs omnium cœlestium uirtutes congregari in unum atque colligi. Iouē uerò esse Solē quē dā ad nos tēperatum nemo negabit. Lunam quoque temperatam ad Venerē haud neglexeris: Multum.n. ad ualidā prosperamque uitam adiuuat. Siquidem Venus fœcundat hoīem, facitque lætū: Hanc igitur obseruabis. Quāquam si Lunam Veneri similem, humore prorsus æqualem, & uix minus calidā, cū Ioue rite misceas aut Sole, propemodum iam Venerem habes. Quid ergo? Vt tutissima oīm & cōmodissima simul incedas uia, Lunam obserua, quando Solem aspicit, coitque cum Ioue, uel saltem Iouē simul aspicit atque Solē, aut certè quando post aspectum. Solis mox ad Iouis coitum progreditur uel aspectum. Atque eo ipso tempore compone inuicem, uel adhibe tibi Solaria Iouiáque simulatque Venerea. Quòd si te ad unum ex magnis confugere necessitas urgeat uel negocium, ad Iouē ipsum uel potius ad Lunam simul Iouémque confugito. Nulla enim stella naturales in nobis uires, imò & omnes magis quàm Iuppiter fouet atque corroborat: Nulla rursum pollicetur prosperiora simulatque plura: Et ubique hunc accipere faustū est, Solē uerò accipere, forsitan nō ubique tutū. Semper.n. ille iuuat, hic sæpe nocere uidetur: Venus aūt quasi debilis. Ideò solus ille iuuās pater est appellatus.

Id autem comprobat Ptolemæus ubi ait: Pharmacum uix quicquam mouere naturam duntaxat, quãdo Luna cũ Ioue congreditur. Vsqueadeò illinc proprie totã putat uniuersi corporis corroborari naturã. Expertus sum quinetiam, Luna cõiuncta cũ Venere, medicinam uix mouere.

Iuppiter omnes naturæ potentias iuuat.

Quanuis aũt ubi pituitam ualde timemus, Lunam præcipue obseruemus ad Solem: Vbi uerò bilẽ exiccationemq; eiusmodi, ad Venerem, tamen directio Lunæ ad Iouem, et ad hæc oĩa quodãmodo confert, & præcipue ad atram bilem expellendã, nec non ad cõem hoĩum cõplexionẽ instaurandã atq; firmandã. Sicut. n. glycyrrhiza & oleum rosaceũ frigidiora calefacit, calidiora refrigerat, uinumq; similiter, quod insuper humectat sicca, humidiora siccat: ita Iuppiter humano congruus calori, ut uinum, oleũ rosaceũ, chamomilla, glycyrrhiza. Vbi igitur audis Albumasar, dicentẽ: Non est uita uiuentibus, præter Deũ, nisi per Solem & Lunam: Id intellige, quãtum ad cõem omnibus spectat influxum. Proprius autem homini accõmodatißimusq; influxus est ab Ioue. Sũt autem in natura corporis uires attrahendi, retinendi, coquendi, expellendi. Has igitur oẽs Iuppiter ipse iuuat: potißimum uerò coquẽdi, siue digerendi uirtutem, atque generandi & nutriendi simul et augendi, propter humorem eius aerium atque multum, et calorem eiusdem amplum, humori mediocriter dominantem. Profectò per radios Iouis semper usquequaque diffusos, lumen Solis proprium ad salutem hominum maxime temperatur: radijs interim Veneris ad idem aßidue conferentibus, atque similiter transferente Luna. Radij quidem Veneris atque Lunæ tanquam humidiores quodam indigent temperante, sicut & Solis radij tanquàm cali-

diores, humidioris cuiusdem temperiem exigunt. Radij autem Iouis tẽperamẽtum nullum desiderant. Quid. n. aliud Iuppiter est, nisi Sol quidam ad salutẽ rerum præcipue humanarum ab initio tẽperatus? Quid rursus aliud, nisi Luna Venúsque, facta tamen calidior atque potentior? Ideò astrologi ab Ioue auspicantur annum fertilem, ferreũ, salubrem, & ab eo imminentium morborũ remedia sperant. Atque Empedocles ubi propria unicuiq; Planetarum munera tribuit, Iouem solũ generationis principem nominat, Orpheum imitatus. Præter Iouem præcipiunt Lunam diligenter in omnibus operibus obseruãdam tanquàm mediũ inter cœlestia competens, atque terrena. Sit ergo Luna in gradu, situq;, & aspectu ad opus optatum, conueniente. Non sit in ecliptica, nec sub radijs Solis per gradus duodecim ultra citráque, nisi forte sit in eodẽ minuto cũ Sole. Plerique uerò uolunt omnes Planetas fore fortes quãdo in unitate Solis extiterint. Vnitatem uerò metiuntur minutis duobus atque triginta, ut xyi. quidem citra, xyi. uerò ultra connumerentur. Non impediatur à Saturno uel Marte, nõ descendat in latitudine meridionali, quando duodecim dictos gradus egreditur. Non sit oppositа Soli, nec lumine minuatur, nec tarda cursu, quando. s. die uno, duodecim nõ peragit gradus. Non sit in uia cõbusta à gradu Libræ uigesimooctauo ad tertiũ Scorpionis, nec in octaua, nec in ascẽdẽte, nec in finibus Martis, uel Saturni. Quidam uerò nec in sexta duodecima nona, quarta Lunã uolunt. In cæteris uerò cœli plagis approbant. Vbi hæc oĩa complecti non potes, Iouem saltem expecta uel Venerem in ascendente, uel decima: sic enim subueniunt detrimentis Lunæ. Nec abre fuerit recordari quatenus Luna lumine augetur, eate-

Iuppiter generationis princeps.

Planetæ quando fortes.

nus & nobis non solum humorem, sed spiritum etiam uirtutemque augeri, atque hæc ad circunferentiam dilatari: Maxime in secunda eius quarta. Quando uerò minuitur, contrà contingere, præsertim in ultima quarta. Primum eius ad Solem trinum præesse secundo. Hũc sextili primo. Hunc sextili secundo. Lunam quatenus lumine, eatenus repleri calore. Videntur ergo quidam non tam obseruare quomodo aspiciat, Luna Solem (semper enim aspicit) quã ut plurimum lumen habeat. præsertim dum augetur. Aspiciat uerò interim trino uel sextili Iouẽ aut Venerẽ. Proinde uirtutem attractiuam ignea iuuant: Retentiuam terrea: Digestiuam aeria: Expulsiuam per aquea. Si tu has omnes in te adiuuare uolueris, attractiuam quidẽ per ignea maxime roborabis, quãdo Luna in signis uel stationibus igneis cõstituta Iouem aspicit, scilicet Ariete, Leone, Sagittario. Retentiuam per terrea, potissimum quando intuetur eundem in signis uel stationibus terreis collocata: Tauro, Virgne, Capricorno. Digestiuam generatiuamq; per aeria, scilicet Geminos, Libram, Aquarium, quoties sub aereis Iouem suspicit, aut subit. Expulsiuã per aqueam, Cancrũ, Pisces, Scorpium. Quando sub aqueis ipsa posita, Iouis radijs illustratur. Maxime uerò in his omnibus consequeris optata, si Iuppiter eadẽ uel similia, uel saltẽ nõ dissimilima signa mãsionésue possederit. Citaturus aluũ solidis medicinis, accipe Pisces: Liquidis, Scorpionũ: Medijs uerò, Cancrũ. Per inferiora purgaturus, Pisces & Scorpiũ: Per superiora, Cancrum. Malum Saturni uel Martis ad Lunã deuitabis aspectum: Ille. n. uexat stomachum, hic intestina dissoluit. Capricornum euitabis & Taurum, nauseam enim afferunt. Scis membrum irritandum non esse, quan-

do Luna signum occupat membro præfectum (humores nanq; mouet) sed potius esse fouendum. Hæc uerò de uirtute & spiritu naturali in iecore præcipue dominãtibus, quæ in quatuor officia quæ narrauimus, diuiduntur, dicta sufficiant. De uirtute uerò spirituq; uitali in corde uigente quidnam monemus? Satis id ferme significatum est: Nam per res in primis igneas & quodãmodo simul aerias hæc adiuuantur qñ Luna in domicilijs mansionibúsue cõsimilibus suspicit Iouem, præcipue si Iouem complectatur & Solem. Virtutem quoq; animalem per sensum & motum in capite dominantẽ cõfirmare potes per aeria in primis, subiunctis igneis, qñ Luna in domicilijs uel sedibus consimilibus Iouem suspicit: præsertim si Iouem propemodum Mercuriumq; complectitur. Hic uerò te moneo, ne Mercurium putes aqueum esse uel terreum (quod & ego aliquando suspicatus sum, alioquin motibus celeritatiq; ingenij non cõferret) sed quodammodo aerium esse scias: Nam & ob eandem causam tam mobilis est, tam facile conuertibilis, tantum ingenio confert, præsertim in Aquario plurimum aerio constitutus. Humor quidem in eo temperatus est, calor exiguus. Sub Sole positus dicitur exiccare: Longior autem à Sole factus, humectare putatur: Ibi quidem calefacere multum ex natura Solis, hic uerò calefacere parum admodum, & humefacere magis suapte natura. Calore forsan non cedit Veneri, Lunam superat, humore uerò cedit utriq;. Haly probat Mercurium qualitates cœlestium cõmiscere: quoniam facillime permutetur, tũ in qualitatem termini quem subit, tũ in naturam stellæ quã aspicit. Ego igitur hũc tã facile pmutari puto, quia nec excellẽtẽ potestatem, quã Iuppiter habet, nec excedẽtẽ qualita-

Sol Ioue ualidius agit

tem, quam pleraq; cœlestia, per quam alterationi resistat. Denique probabile est Mercurium assiduum Solis Achatem, multas illius uires habere, ideóque sperari Solaria quædam à Mercurio posse: Aliquando uerò & Martem tradunt, Solem in quibusdam muueribus imitari, ac Venerem quæ ad Lunam pertinent elargiri. Hæc igitur in agendo memineris. Neque negligas unquàm terminos. Aiunt enim Planetas in diuersis terminis ceu lucidis atq; tenebrosis opposita facere. Denique ubi Martem times, oppone Venerem: Vbi Saturnum, adhibe Iouem. Ac da operam ut in perpetuo quodam pro uiribus motu uerseris, tantum defatigatione uitata, ut & proprium motum externis motibus clàm nocituris opponas, & cœlestem actum pro uiribus imiteris. Quòd si poteris spatia motibus ampliora peragere, sic et cœlum potius imitaberis, & plures cœlestium uires passim diffusas attinges.

Quomodo membra foueantur in nobis per comparationem Lunæ ad signa & ad stellas fixas. Cap. 7.

TOtum quemadmodum diximus corpus fouere poteris, caput uerè potissimum si Planetas obseruaueris in Ariete, uel in suo quenque domicilio primo. Præcordia si in Leone: Stomachum iecúrq; si in Cancro atq; Sagittario, aut saltem in Virgine. Et acceperis ea quæ propriè membrum petunt. Expedit quoque nosse, quæ quisq; Planeta membra in signo quolibet habeat. Potes etiam propriè pro ætatis discrimine consulere unicuique per quatuor ætates Lunæ. Hæc enim à nouilunio usq; ad quadraturam primam iuuenis est. Deinde ad plenilunium est iuuenis atq; uirilis. Hinc ad quadraturã alterã, uirilis simul atque senilis. Inde usq; ad coniunctionem est senilis.

Membrorum fouendorum ratio

Aetatem itaque Lunæ feliciter ætati curandi corporis adhibebis, si tunc aspectum eius ad aliquam trium Gratiarum acceperris. Qui sanè aspectus Lunæ semper & citò gratiosa largitur. Neque tamen facile admodum diuturna uel maxima, nisi præter intuitum Lunæ, etiam ipsæ Gratiæ mutuò se conspiciant iam, uel propemodum conspecturæ sint, aut tres ipsæ aut duæ. In primis uerò diuturna præbent signa fixa: Leo scilicet, Aquarius, Taurus, Scorpius. Si fortè non possis in præsentia Lunam ad Planetas gratiosos opportune dirigere, stellas elige fixas gratiarũ naturam, id est Iouis aut Veneris aut Solis, habentes, & ad eas directam Lunam elige. Tutius tamen est. Lunam interea Iouea propemodũ adire uel Venerem Stellæ nanque fixæ si solæ spectent, proportionem humanam, id est unius hominis, nimis exuperant. Proportionem uerò cũ ciuitatibus moderatiorem habent.

De uirtutibus & usu stellarum fixarum. Cap. 8.

TRadunt Astrologi maiores quasdam stellas à Mercurio compertas, authoritatem habere quamplurimam. Qualis est in Arietis gradu. 22. umbilicus Andromedæ, Mercurialis atq; Venereus. Item in Tauri 28. caput Algol, naturam Saturni possidens, atque Iouis. Cui subesse uolunt Adamantem & artemisiam, & audaciam uictoriamq; præstare. In eiusdẽ gradu. 22. Pleiades, lunare sydus & Martiũ: Cui subijciunt crystallum, herbã diacedon, semen fœniculi. Conferre putant ad acuendum uisum. Quod autẽ nonnulli dicunt cõducere ad dæmonas cõuocãdos, figmẽtũ esse iudico. Aldeboran primo uel tertio Geminorũ gradu Martiũ atq; Venereũ. Hircus gradu eorundem. 13. Iouius atque Saturnius. Huic subijciunt

saphyrum, praßium, mentham, arthemiſiam, mandragoram. Ad dignitatem & principum gratiam adiuuare confidunt, niſi fortè eos opinio fallat. Illi ſubeſſe uolunt rubinum, titimallanum, matriſyluam. Diuitias & gloriam augere. In Cancri ſexto uel ſeptimo Canis maior Venereus præeſt berillo, ſauinæ, artemiſiæ, draconteæ. Præſtat gratiam: item in. 17. eiuſdē canis minor Mercurialis & Martius. Cui ſubeſſe uolunt lapidem Achatem, herbam Solſequium, & Pulegium: Atque gratiam elargiri. In Leonis 21. Cor Leonis, ſtella regia Iouialis & Martia. Huic ſubijci putant lapidem Granatum, chelidoniam, maſticem, Melancholiam reprimere, temperatum gratioſumq; efficere. In Virginis. 19. Cauda Vrſæ maioris Venerea & Lunaris. Lapidem eius Magnetem putant, herbam cicoream et artemiſiam, à raptoribus ueneficijsq; tueri. In Libræ. 7. Ala Corui dextra. In eiuſdem. 12. et fortè. 13. Ala ſiniſtra, Saturnia ſimul & Martia. Eius herbam lapathiū et hyoſcyamum eſſe, aiūt cū lingua ranæ audaciam augere: Forenoxiam, in eiuſdem quindecimo uel ſedecimo, ſpica Venerea Mercurialisq;. Quam ſequatur Smaragdus, ſaluia, trifoliū, promaralla, artemiſia, mandragora. Diuitias augeat & uictoriam, & ab anguſtia uindicet. Denique in eiuſdē 18. Alchameth. Huic ſubdunt Iaſpidem & plantaginem. Firmare ſanguinem ſperant, febres omnes expellere. In Scorpionis quarto, Elpheia Venerea Martiáque. Secundum uerò computationem alia in gradu eiuſdem quinto eſt cornea, forſan eadem præſidens topazio, rorimarino, trifolio, hederæ, augere gratiam, caſtitatem, gloriam putant. In Sagittarij tertio, Cor Scorpionis Martium atque Iouiū, præſidens ſardonio amethiſto, ariſtolochiæ longæ,

croco. Opinantur colorem bonum efficere, animum lætũ, ſapientemq; reddere, dæmonia propulſare. In Capricorni gradu ſeptimo Vultur cadẽs, hanc ſequitur Chryſolythus, Satureia, Fumus terræ. Stella eſt Mercurialis atque Venerea, temperata. In aſcendẽte medioq; cœlo prodeſt. Quod aũt excantandi authoritatem afferre dicant, nihil pẽdo. In Aquarij xyi. cauda Capricorni, Saturnia, Mercurialisq;. Quam ſequitur Calcidonius, maiorana, nepita, artemiſia, mandragora. Præſtare in cauſis gratiam opinantur, diuitias augere, hominem, ac domũ incolumen reddere. In Piſciũ tertio humeris equi Iouialis & Martius. Thebit philoſophus docet ad captandam alicuius Stellæ modo dictæ uirtutem, lapidem eius accipere, herbamq; eiuſdem, annulumq; aureum facere uel argenteum, in quo lapillum inſeras herba ſubiecta, gerasq; tangentẽ. Id autem efficias quãdo Luna ſubit Stellã, aut auſpicit aſpectu trino uel ſextili: Et Stella in medio percurrit cœlo uel aſcendente. Ego uerò quæ ad eiuſmodi Stellas attinent, in formam potius medicinæ quàm annuli componerem, intrinſecus uel extrinſecus adhibendæ, opportunitate uidelicet prædicti temporis obſeruata. Tametſi priſci annulos magnificerint: Nã Damis & Philoſtratus narrant, Hiarcham, ſapientum Indorum principẽ ſimili quadam ratione ſeptem annulos confeciſſe, Stellarum ſeptẽ nominibus appellatos, eosq; Appollonio Theanæo dediſſe. Qui deinde ſingulos diebus ſingulis geſtauerit, iuxta dierum nomina hos diſtinguens: Dixiſſe uerò Hiarcham Appollonio, auum ſuum philoſophum annos centum atque triginta uixiſſe, eiuſmodi forſan cœleſti munere fretum: Quo & Appollonius deinde uſus, cẽteſimo etiam anno, ut aiunt, iuuenem præſtrebat,

Deniq; si quid eiusmodi annuli uirtutis habent ex alto, id quidem non tam ad animam uel ad crassum corpus pertinere arbitror quàm ad spiritũ, calefacto paulatim annulo, sic inde uel sic affectum, ut firmior efficiatur aut clarior, uehemẽtior aut mitior, seuerior aut lætior. Quæ quidẽ affectiones in corpus quidẽ omnino, & in aĩam sensualẽ quo dãmodo, plerunque indulgentem corpori transeũt. Quod autem aduersum dæmonas aut hostes, aut ad principũ gratiam profuturos annulos pollicentur, uel fictum est, uel inde deductum, quòd spiritũ interritum, firmumq; efficiãt, uel etiam mansuetum, obsequióque amabilem, atque gratiosum. Iam uerò, siquid cœlestia præter corpoream ualetudinem, conferre ad ingenium, artem, fortunam dicerẽ, ab Aquinate Thoma nostro non dissiderem, qui in lib. contra Gentiles tertio probat à corporibus cœlestibus imprimi nonnihil in corpore nostro, cuius munere disponamur ad eligendum sæpe quod melius est, etiam si rationem finemq; nescianus. Qua quidem in re bene fortunatos appellat, atque (consentiente Arist.) bene natos. Addit etiam uirtute cœlesti fieri nonnullos in quibusdam artium effectibus efficaces (ut eius uerbis utar) sicut miles in uincendo, agricola in plantando, medicus in sanando, felices. At. n. sicut herbæ lapidésque mirabiles quasdam ultra naturam elementarem uires cœlitus habent, sic homines quoque in artibus nonnullos habere. Mihi uerò satis fuerit factum, si cœlestia quomodocunque quasi per medicinas, siue interiores, siue exteriores, ad prosperam confirant ualetudinem, dummodo interea salutem corporis perquirentes, iacturam nullam salutis animæ faciamus. Nihil omnino tentemus à sancta religione prohibitum. Præterea in

Corpora cœlestia ĩprimũt nõnũquã corpori nostro ad eligendum sæpe qđ melius est, ẽt si ratiõem finémq; nescianus.

opere quouis conficiendo, fructum operis ab eo speremus atque petamus in primis, qui & cœlestia, & quæ continentur cœlo fecit, & uirtute donauit, mouétque semper atque conseruat.

De dignitatibus Planetarum in signis ad usum medicinarum obseruandis. Cap. 9.

SAturni domus Aquarius & Capricornus: Exaltatio Libra. Iouis domus Sagittarius atque Pisces: Exaltatio siue regnum, Cancer. Martis domicilium, Scorpius & Aries: Exaltatio Capricornus. Solis sedes quidem est Leo: Regnum Aries. Veneris habitaculum, Taurus atque libra: Exaltatio pisces. Mercurij ædes Virgo atq; Gemini: Regnum Virgo. Lunæ domus Cancer: Ealtatio Taurus. Saturnus & Iuppiter triplicitatem habent in igneis aerijsq; signis. Sol in igneis tantum. Mercurius in aerijs solum. Mars, Venus, Luna, in aqueis atque terreis. Planetæ quilibet præter Solem ac Lunam, in quolibet signo fines quosdam suos possident, quos & terminos appellamus. Igitur in Ariete Iuppiter sex ibi primos terminos obtinet, Venus sex inde sequentes, Mercurius posteriores octo, Mars quinq; deinceps, postremos quinq; Saturnus. In Tauro ordine deinceps simili Venus fines habet octo, Mercurius sex, Iuppiter octo, Saturnus quinq;, Mars deniq; tres. In Geminis Mercurius sex, Iuppiter sex, Venus quinque, Mars septẽ, Saturnus sex. In Cãcro Mars septẽ, Venus sex, Mercurius totidem, Iuppiter septem, Saturnus quatuor. In Leone Iuppiter sex, Venus quinque, Saturnus septẽ, Mercurius sex, Mars totidẽ. In Virgine Mercurius septẽ, Venus decem, Iuppiter quator, Mars septem, Saturnus duos. In Libra Saturnus sex, Mercurius octo, Iupiter

Planetarũ dignitates ĩ signis ad usum medicinarũ obseruandæ.

septem, Venus totidem, Mars duos. In Scorpione Mars septem, Venus quatuor, Mercurius octo, Iuppiter quinque, Saturnus sex. In Sagittario Iuppiter duodecim. Venus quinque, Mercurius quatuor, Saturnus quinq;, Mars quatuor. In Capricorno Mercurius septẽ, Iuppiter septem, Venus octo, Saturnus quatuor. Mars totidem. In Aquario Mercurius septem, Venus sex, Iuppiter septẽ, Mars quinque, Saturnus totidem. In Piscibus Venus duodecim, Iuppiter quatuor, Mercurius tres, Mars nouem. Saturnus denique duos. Sol aũt et Luna alia ratione fines suos habẽt: Nã Sol quidem signa sex pro finibus habet, Leonem, Virginem, Libram, Scorpium, Sagittarium, Capricornum. Luna uerò reliquos, Aquarium, Pisces, Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum. Solem igitur atque Lunam in his signis eũ principatum affectumque, quem reliqui Planetæ in suis finibus, habere putãt. Præter fines habent in signis suas Planetæ facies, quas Græci Decanos nominant, decem, occupantes signi gradus. In Ariete facies prima Martis: Secũda Solis, qui Martẽ in cœlo sequitur, ordine Chaldæorũ: Tertia Veneris, quæ soli succedit in cœlo. In Tauro prima facies Mercurij, sequentis Venerẽ secunda Lunæ, quæ Mercurio succedit: Tertia Saturni. Ad hunc. n. redeũdum est, impleto iam numero Planetarum. In Geminis prima Iouis, sequentis uidelicet Saturnum, secunda Martis, Tertia Solis eodem ordine similiterque deinceps.

Decani planetarum.

Qũo Planetis uti debeamus in medicinis. Cap. 10.

COmmemorauimus autem quas in signis Planetæ dignitates habent, ut quoties facturi compositurique sumus quæ ad Planetam aliquem attinent, sciamus eum in suis dignitatibus collocare, præsertim quan-

do habuerit in nostra reuolutione & genesi principalem ut etiam Saturnus atque Mars, alioquin deprimendi, nobis tamen sint erigendi si genituræ nostræ significatores extiterint. Maxime uerò operæprecium ex hac commemoratione fecerimus, siquando usuri medicinis conficiendis beneficio Lunæ & ueneris atque Iouis, cauebimúsne in finibus saturni uel Martis existant: nisi fortè ubi cogimur, uel per Saturnum cohibere dissolutionem aſtúmque reprimere, uel per Martem frigidißima calesacere, torpẽtia susciture, alioquin fines Iouis & Veneris eligemus. Accipiemus quoque Mercurij fines, Mercurialibus in primis hominibus profuturi. Neque latere nos debet, homines ualde Mercuriales, quales sunt qui ingenio, artificio, eloquio pollẽt, nõ mediocriter esse Solares: Mercurius. n. semper est Apolline plenus. Vt aũt quiuis intelligat qũo figuras in cœlo describamus in oras signum quod ab oriente surgit, primam appellamus uitæque domum: Quod sucDomus si cedit in ortũ, in secundã: tertiámque deinceps, aliásque signorum militer: ita ut septima domus sit signum, quod in occidẽte iam descẽdens opponitur ascẽdenti. Huic octaua succedit. Noua uerò è medio cadit cœlo, qd' decimã domũ efficit. Huic succedit undecima. Sed duodecima cadit ab ascendẽ Figurarũte. Vt igitur Planetæ sint potẽtes, habendi sunt in angulis in cœlo de uel oriẽtis, uel occidentis, uel medij utrinque cœli: Maxi- scriptio et me uerò in angulo ascendẽtis, aut decimæ mediũ supra ca ordo put obtinẽtis cœlũ, aut saltem in plagis quæ angulis mox succedunt. Tametsi Solem quidẽ in nona, quæ à medio cadit cœlo, Lunã uerò in tertia etiã cadẽte gaudere putant. Duas inter hæc regulas mẽte teneri astrologi nolunt: Vnã quidẽ agrotãtis ratione, alteram uerò medici. Nempe ubi

ægrotantis septima domus per Saturnum uel Martem in fortunata est, uel dominus eius infelix, separa medicum ab ægroto, si Ptolemæo credis. Præterea medicum electurus, Saturnium Martialémque declinare iubent, eúmque perquirere, in cuius genitura domus sexta per aspectum Solis, uel per Venerem aut Iouem, quomodocunq; fuerit fortunata. Infortunatum uerò dicimus signum uel Planetam per Saturnum, aut Martem, nisi propria domicilia sint uel regna, quando uidelicet uel ibi sunt, uel illuc aspiciunt oppositio uel quadrato. Oppositum uerò aspectum dicimus inter illa quæ interuallo discrepant quàm longissimo: Quadratũ uerò, ubi hoc ab illo quarta parte cœli. i. signorum trium spatio distant. Minus tamen per coniunctionẽ oppositum quadratum Saturnus & Mars Planetis alijs nocent, quando tanquam hospites eos domicilio uel regno suo terminóue suscipiunt. Quemadmodum Planetæ felices magis prosunt, qñ præter sextilẽ triuúmue aspectum atq; coniunctionẽ etiam, ut diximus, sic excipiunt. Solis tamen coniunctionem Planetæ uerẽtur, aspectu gaudẽt, trino uidelicet uel sextili. Proinde necessariũ est meminisse, Arietem præesse capiti atq; faciei. Taurũ collo, Geminos brachijs atq; humeris, Cancrum pectori, pulmonibus, stomacho, lacertis: Leonem cordi et stomacho, atq; iecori, & dorso, & costis posterioribus: Virginem intestinis & fundo stomachi: Libra renibus et femori atq; natibus: Scorpionem genitalibus, uuluæ, matrici: Sagittarium femori atq; subinguinibus: Capricornum genibus: Aquariũ cruribus tibijsq;: Pisces pedibus. Huius. n. ordinis memor cauebis membrũ tangere ferro, uel igne, uel cucurbitulis, quando Luna sub eius signo discurrit. Tũc. n. auget

Aspectus oppositus

Luna

Luna humores in membro, quorum affluentia & consoli
dationem prohibet, & grauat membri uirtutem. Obser-
uabis aũt, tũc membrum remedijs quibusdam amicis, uel
extra uel intus adhibitis, opportune feliciterq; fouere. Ex
pedit uerò nosse quod signum ascenderit tibi nascenti. Nã
præter Arietem hoc etiam tibi caput significat, atque in
hoc Lunæ tibi caput aspicit. Præterea quando Luna Arie
tem subit, opportune balnea tentas & lauacra. Quando
Cancrum, feliciter minue sanguinem, medicinam accipe,
præsertim electuarij formam. Quando est in Leone, ne
prouoca uomitum. Cum in Libra, clysteribus apta est. In
Scorpione balnea nec tentes. Sunt qui medicinam solutu-
ram dare nec prohibent, neq; iubent. In Capricorno medi
cinam sumere nocet. Similiter in Aquario. In Piscibus ue-
rò prodest. Quæ uerò mẽbra in quouis signo unusquisq;
habeat Planetarum, etsi scitu necessarium est, tamen nar-
ratu prolixũ. Neq; uerò in purgatione alui latere nos de
bet Ptolemæi præceptũ: Medicinã accipere purgatoriã,
quando Luna est in Cancro, Piscibus, Scorpione, proba-
mus: præsertim si dñs signi tunc ascendẽtis applicet se pla
netæ sub terra currenti. Sin autem ascendẽtis dominus cõ
iungatur interea supra caput cum Planeta medium tenen
te cœlum, nausea statim & uomitus incitabitur. Denique
concludamus cum Galeno Astrologiam esse medico neces
sariam, qui de criticis diebus disputans ait, certã esse Ae-
gyptiorum sententiam, id est lunam significare affectio-
nem indies ægrotantis atq; sani, adeò ut si misceantur cũ
luna radij Iouis et Veneris, bene afficiatur uterq;: Sin aũt
Saturni uel Martis, cõtraria rõne se habeat. Sed latius iã
quagati, ad spiritũ tandẽ et uitã atq; Gratias reuertamur.

Balneandi opportuni tas quæ po tior

Capricor nus medici nis aduer-

Astrolo- gia medi- co nece ssa ria

Quibus modis ſpiritus noſter haurire plurimum poſſit, de ſpiritu uitáque mundi, et qui Planetæ ſpiritum procreent atque recreent: Et qualia ad unumquenque Planetam pertineant. Cap. 11.

HVc uerò tendunt hæc omnia, ut ſpiritus noſter rite per naturalia præparatus atque purgatus accipiat ab ipſo uitæ mundanæ ſpiritu plurimum per radios ſtellarum opportune ſuſceptos. Vita quidem mundi omnibus inſita, propagatur euidenter in herbas & arbores, quaſi pilos ſui corporis atque capillos. Tum & inſuper in lapides & metalla, uelut dentes & oſſa: Pullulat quoque in uiuentes conchas, terræ & lapidibus adhærentes. Hæc enim non tam propria quàm ipſa communi totius uita uiuunt. Quæ ſanè communis ùita, multo etiã magis ſuper terram in corporibus uiget ſubtilioribus tanquã propinquioribus animæ. Per cuius uigorem ĩtimũ, aqua, aer, ignis uiuentia ſua poſſident, atque mouentur. Vita hæc aerem ignémque etiam magis quàm terram & aquã fouet agitátque perpetuo motu. Et denique cœleſtia corpora, quaſi mundi caput uel cor uel oculos quam maxime uegetat. Vnde per ſtellas, uelut oculos, radios non uiſibiles ſolum, ſed etiam uiſuales uſquequaque diffundit. Quibus more Struthij, ut diximus alibi inferiora conſpicit, fouétque uidendo, immo etiam ita tangendo generat & format omnifariam atque mouet. Igitur ad motum nitentis aquæ, ſereni quoque aeris, ignisque moderate diſtantis, atque cœli, motum mundanæ uitæ ſuſcipies, ſi ipſe quoque leniter & fermè ſimiliter mouearis, quoſdam pro uiribus gyros agens, uertigine deuitata, cœleſtia luſtrans oculis, mente uerſans. Item frequenti quodam uſu planetarũ, ſi-

militérq; uiuentium potes è mundi ſpiritu plurimum haurire: Præſertim ſi adhuc uiuentibus recentibuſqúe & matri terræ quaſi adhuc hærentibus nutriaris, atq; fouearis. Inter plantas ſuauiter redolentes, uel ſaltem non male olentes uerſeris quam frequentiſsime. Omnes enim herbæ, flores, arbores, poma redolent, quamuis ſæpe minus animaduertas: Quo quidẽ odore quaſi flatu ſpiritúque uitæ mundanæ, te undiq; recreant atque uegetant. Spiritum inquam tuum odoribus eiuſmodi natura ſimillimum, pérque ſpiritũ mediũ inter corpus & aĩam, facile corpus quoque reficiunt, & aĩæ mirifice proſunt. Inter hæc diutiſsime diurno tẽpore ſub diuo uerſaberis, quatenus tutò uel commode fieri poteſt, in regionibus altis & ſerenis atque tẽperatis. Sic. n. Solis Stellarúmq; radij expeditius puriúſq; undiq; te contingunt, ſpiritúmque tuum complent, mundi ſpiritu per radios uberius emicãte. Præterea naturalis ipſe motus aeris, qui perpetuus eſt in orbẽ, quãuis ob lenitatem ſuam, conſuetudinémq; diuturnam uix percipiatur ab ullo, te die ſub diuo deambulantẽ, habitantémq; in patẽtibus editíſq; locis libere lambit, penetrátq; pure, ac motum uigorẽque ſpiritui tuo mundanum mirifice præſtat. Dixi equidẽ die, compertum. n. habemus nocturnum aerem eſſe ſpiritibus inimicum. Conferet autem diurni uſus, præſertim ſi plurimum in aperto deambulans, deuites primo quidẽ nimiam aeris intẽperiem: deinde frequentius mouearis in eo quando præter temperiem & ſerenitatem eius, Stellarum poſitio magis eſt hominibus ſalutaris. Item ſi loca eligas præcæteris odorifera per quæ ſitũ quotidie mutes, et ipſe quaſi continue, & leniter mouearis. Mutare locũ quãuis ſemper cum delectu præcepi, quoniam bona cœleſtiũ & uni-

Spũs noſter quomodo mundi ſpiritũ hauriat ꝑ Solis radios.

uersæ naturæ apud nos sunt rebus lociſqúe alijs paßim atque alijs diſtributa, quibus deniq; oĩbus eſt fruendum. Mitto quòd uarietas tædium prohibet. ſpiritibus inimicũ, propriumqúe Saturno: Voluptatẽ uerò affert, per quã (ut ita dixerim) Venus ipſa uoluptatis amica uenit in ſpiritũ, atq; quod eius officium eſt, hunc ſtatim ingreſſa propagat. Sũmatim uerò ſi quis conſideret paradiſum, & Pomi uitæ uſum apud Moyſen: Itẽ ſimilẽ uictum à Platone poſitũ in Phædone: & quæ Plinius de populis ait odore uiuẽtibus, intelliget eſſe uera quæ dicimus. Sed ad naturã ſpiritus de-

Spũs definitio ſecundum

ſcendamus. Spiritus quidẽ qualitas eſt proculdubio Iouia, cuius tẽpore nobis infunditur. Eſt & Solaris: Iuppiter. n. dum medi hũc infundit, quatenus ingentem Solis in ſe temperat poſtatem. Itẽ alia quoq; ratione Iouia eſt, quoniam calida eſt & humida, & calore abundat potius quàm humore, naſciturqué ſanguine, et uapor quidã ſanguineus appellatur. Rurſus quoniã feruet, & ſubtilis eſt admodum atq; lucẽs, oriturqué à corde, Solaris proculdubio iudicatur. Habet & quodãmodo Venereã in ſe uirtutem: Nam motu Venereo prorſus exundat, profluit, transfertur, prolémque propagat, ad uoluptatẽ cuiuslibet ſenſus ſe dilatat, refugítque dolorem. Sũmatim uerò, ſpiritus quatenus corpori ad uitã & motum propagationémque conducit, Iouius, Venereus, Solaris exiſtimatur: Quatenus animo ad ſenſum imaginationémq; miniſtrat, Solaris Mercurialiſque cẽſetur, & ubique Mercurialis exiſtit, quandoquidem adeò mobilis eſt, & tam facile conuertibilis, atque formabilis. Saturni, Martis, Lunæ, ſanus communiter ſpiritus non multum habet: Alioquin ex illo ſæpe ſtupidus, ex hoc furioſus, ex hac obtuſus quodãmodo fóret. Quãobrẽ Lunaria quidẽ

uelut crassiora simúlque humidiora à subtili & uolatili natura spiritus sunt admodum aliena. Quæ uerò Saturnalia multũ, atq; nimiũ Martialia sunt, quasi uenena sunt, spiritui naturaliter inimica. Illa quidem ob extremam frigiditatem atq; siccitatem, hæc autem ob siccitatẽ, calorémq; eadẽ. Iouia igitur & Solaris in primis, deinde Mercurialis, & quodãmodo Venerea, spiritus natura censetur. Distinctione uerò præcipua, spũs quidẽ naturalis Ioui propriè dedicatur, uitalis aũt Soli, aĩalis uerò Mercurio. Quãdo igitur res postulat aliquẽ è tribus spiritũ adiuuare, patronũ tũc suo infortunato, uel debili, non facile cliẽtulo succurrere poteris: Difficillime uerò spiritui aĩali, dum Mercurius infeliciter est affectus, qui tantã in aĩali spiritu authoritatẽ habet, ut caduceo quodam suo animos tũ cõsopire, tum susciture dicatur, id est suo quodam aspectu, sic aut aliter se habẽte obtundere ingeniũ, uel acuere, debilitare, siue corroborare, uexare, uel sedare mirifice posit. Tu igitur quoties spiritũ aliquẽ studes excolere, nõ modo patronũ suum obseruabis fortunatũ atq; potẽtem, sed etiam Lunam eliges ad hunc opportune directam. Nõ creatur aũt, neque recreatur aliquando proprie per influxum Saturni solũ substantia spiritus, sed semper ab externis ad intima & sæpe ab imis reuocatur ad summa. unde ad secretiora & altiora contemplanda conducit. Post tamen, etsi raro, uis Martis atque Saturni, spiritui tanquàm medicina prodesse, uel calefaciendo cum opus fuerit, & excitando atque dilatando, uel uicißim nimis uolatilem coercendo. Per ea uerò potißimum quæ quatuor illis Planetis consentanea sunt, creatur natura spiritus atque recreatur. Verum si ad Solaria quælibet ualde et absque delectu

Spũi inimica qualitas Saturni.

declines, exacues illum, et exiccabis tandem atq; dissolues: Similiter ad Venerea, liquefacies paulatim, uel obtundes. Si confidas tantũ Mercurialibus, parũ admodum inde proficies. Erit igitur operæpretiũ Iouialibus uti quãplurimũ, eisq; reliqua mediocriter admiscere, ac frequentius uti rebus, quæ uel his oĩbus æque sint cões, uel propriè Ioui. Nã hæ quoque omnibus quodãmodo sunt cões. Cõiter autem ad hos omnes attinent, quæ substantiam habent nec igneã nimis, nec prorsus terreã, nec simpliciter aqueam, nec acutissimam, nec obtusissimã qualitatem, sed mediocrem, & tactu tenuem, & quodãmodo mollem, uel saltem non duram, siue asperam: item gustu, quodammodo dulcem, olfactu suauem, uisu gratam, auditu blandam atque iucundam, cogitatu lætam. Dulcedo igitur quædam saporis, & gratia his omnibus est cõis. Si dulcedo quasi aquea est, & simul pinguis, ad Venerem magis attinet: Si quasi insipida, uel aliquantum austera, potius ad Mercuriũ: atque hæc spiritui non multũ prosunt, necessaria tamen sunt interdũ, ad habetandum nimium eius acumen. Si dulcedo manifesta sit atque subtilis, & paulum habeat styptici acutique saporis, Iouialis propriè iudicatur. Cui congruit substantia dulcis amygdalæ, pinei, auellanæ, pistacij, amidi, glycyrrhizæ, passularum, uitelli, oui, carnium gallinacei pulli, fasianarum, pauonum, perdicum, similiumq;: item radicum been, atque enulæ. Rursum uini odoriferi clari, aliquantum dulcis, & styptici. Sacchari candidissimi, tritici albissimi. Ad Iouem pertinet etiam manna, si modo myrobolani infusa uirtute firmetur, alioquin non minus ad Venerem attinet quàm ad Iouẽ. Hæc est utique substantia dulcedóque Iouis propria, quæ sanè spiritui creando & recreando ante oĩa

confert. Iouia uerò plurimũ sunt omnia, quæ in libro De lõga uita diximus & seruare iuuentutem, & senibus salubria fore. Sin autem dulcedo admodũ pauca sit, multúmq; acuti stypticiq; habeat, uel etiam non nihil amari, Solaris esse cẽsetur. Similis quædam ratio est & distinctio de odoribus: Hi enim saporum germani sunt. Similis etiam de coloribus: Colores sanè aquei, albi, uirides, aliquantum crocei, similes uiolarum, rosarum, liliorum coloribus, nec nõ odores eiusmodi Venerem referunt, & lunam atq; Mercurium. Colores uerò sapphirij, qui etiam dicuntur aerei: item purpurei pleniores, aureiq; argento mixti, & perpetuò uirides, Iouem. Ardentes autem crocei, aurei, puri, purpurei clariores, Solem. Quilibet uerò colores si uiui sint, uel saltem sericij, magis stellares existunt. In metallis quoque & lapidibus atque uitris propter cœlestem similitudinem sunt potẽtes. Sed ut redeamus ad Iouem, sapor & odor eius quasi est, qualis in aureo pomo persico, simi lique pyro, uel arãceo, & uino maluatico leuiore, leuiq; uernaceo, qualis in uiridi zinzibere, uel cinnamomo, uel dulci marathro, uel doronico, si hæc plurimo saccharo cõdita gustẽtur. Nã quatuor hæc, et nux muscata recẽs, sola si sunt, potius Solaria sunt, Solaris et chariophylus et muscus, sed odoratu, nõ gustu, nõ aspectu. Ambra solaris plurimũ atq; Iouia. Crocus in oĩbus est Solaris, tametsi color eius et odor apud astrologos oĩbus gratijs dedicatur: Sapor aũt ad Solẽ proprie ptinet. Deniq; oĩa odorifera & aromatica, quatenus odorẽ gratũ ferũt, ita ad Iouẽ Venerẽq; & Mercuriũ ptinẽt ut ad Solẽ, quãuis inter hæc, acutiora magis ad Solẽ, obtusiora ad Venerẽ Mercuriũq; potius ad Iouẽ propriè temperata, olfactu, gustu, auditu, ui-

Calores potentes qui

Crocus solaris

ſu, tactu. Soni quinetiam cantusq; grati, blandiq; ad gratias omnes ſpectant atq; Mercurium: Minaces autem ad modum atq; flebiles Martem præferunt & Saturnum. Neq; uerò mireris nos multũ coloribus, odoribus, uocibus attribuere. Nam ſapores quidem ad ſpiritum præcipue ptinẽt naturalem: odores aũt potius ad uitalẽ aũalẽq; colores, figuræ, uoces, ad animalem. Motus quoq; animi uel lætus, uel mœſtus, uel conſtans, ſpiritum ad ſimilitudinem ſuam agitat uehementer: Animalem primo, per hũc uitalem, per hunc inſuper naturalem. Spiritus tandem omnis quia ob naturam quodammodo igneam, aeriamq; omnino & lucidam atq; mobilem, ſimilis eſt luminibus, ideó que coloribus & uocibus aerijs, & odoribus motibusq; animi, ideò per hæc ſubitò in utranq; partem mouetur atque formatur. Et qualis euadit ipſe, talem uiciſſim efficit quodammodo affectum animi & omnino corporis qualitatem. Denique cum primum per illa quæ gratiarum propria ſunt, opportune gratijs eſt expoſitus, utpote qui & naturaliter illis conſentaneus erat, ſtatim per illarum radios tum ubique uigentes, tum ipſi germanos, mirifica reportat munera gratiarum.

Quod res naturales atq; etiam artificioſæ habent uirtutes à ſtellis occultas, per quas ſpiritum noſtrum ſtellas eiſdem exponunt. Cap. 12.

CVm uerò dicimus ſpiritum exponi gratijs per illa quæ ſunt gratiarum, non ſolum per qualitates quæ uidentur, audiuntur, odorantur, guſtantur, ſed etiam per illas quæ tanguntur accõmodari putamus. Memento igitur calidum in primo gradu Iouis eſſe: In ſecundo Solis cum Ioue: In tertio Martis cum Sole: In quar

to Martis. Frigidum in primo Veneris: In secundo lunæ: In tertio lunæ cum Saturno: In quarto Saturni. Humidum in primo Mercurij cum Ioue: In secundo Veneris cum luna: In tertio lunæ cum Venere: In quarto lunæ, quando Veneri Mercurioq; coniungitur. Siccum in primo Iouis. In secũdo Mercurij cum sole: In tertio solis cum Marte: In quarto Martis cum Saturno. Summatim ex qualitatibus Planetarum, quas Ptolemæus describit in quadripartito, colligimus harmoniam ex cunctis conflatam ad calorem humoremq; declinare: Calor enim Martis ingens atque Solis & temperatus Iouis, ingentem superat Saturni frigiditatem, & Veneris lunæq; exiguam, ita ut calor ibi frigus excedat. Item humiditas lunæ Venerisq; plurima & propinqua nobis atq; temperata, Iouis siccitatem Saturni Martisq; multam superat, et temperatam solis. Calor igitur humorq; frigori siccoq; dominantur, atq; similiter calor humori: Quemadmodum in sani corporis homine ad cœlestem consonantiam temperato ex calore & siccitate cordis: item calore & humore iecoris, rursum frigore et humore cerebri, coalescit cõplexio quædam ad calorẽ humoremq; uergens, mediocriter calore regnante. Calor enim cordis & iecoris, frigus cerebri superat: Item humor iecoris atq; cerebri siccitatẽ cordis excedit. Neq; uerò prætermissum à nobis uelim, talem existere ex stellis fixis harmoniam cunctis communem, qualem diximus ex planetis: hos enim illis similes astrologi putant. Quorsum hæc? Vt memineris spiritum corpusq; nostrũ per temperiem quandam ad calorem humoremq; uergentem, uel naturã cõstantem, uel ante quæsitam, accõmodari posse cœlestibus, sibiq; cœlestia uendicare. Neque tamen

dicimus ſpiritum noſtrum cœleſtibus duntaxat, per qualitates rerum notas ſenſibus præparari, ſed etiam multoq; magis p proprietates quaſdã rebus cœlitus inſitas, et ſenſibus noſtris occultas, rationi uix deniq; notas. Nam cum proprietates eiuſmodi, earúmq; effectus elementari uirtute conſtare non poſſint, conſequens eſt à uita ſpiritúq; mũdi per ipſos ſtellarũ radios ſingulariter proficiſci, ideóq; per eas ſpiritum affici quàm plurimum atq; quàm primũ, cœleſtibúsque influxibus uehementer exponi. Hac utique ratione ſmaragdus, hyacinthus, ſapphirus topazius, rubinus, unicorni cornu, præcipuè uerò lapis bezaar apud Arabes appellatus, occultis gratiarum proprietatibus prædita ſunt: Et idcirco nõ ſolum intus aſſumpta, ſed etiã carnem tangent, ibiq; calefactu uirtutem ſuam promãt, ũm inde cœleſtẽ ſpiritibus inſerunt, qua ſe contra peſtem tuentur, atq; uenena. Quod autem hæc ſimiliáq; tale aliquid agant uirtute cœleſti, id argumento eſt, quia etiam exiguo pondere ſumpta non exiguum habent in agendo momentum. Quod elementari qualitati uix unquam eſt cõceſſum, igni uidelicet ualde cœleſti. Materialis enim uirtus ut agat multum, materiam deſiderat multam. Formalis autem, etiam cum minima materia ualet plurimum. Simili uirtute in primis phœbea Pœonia carnem tangens, contra caducum morbũ ſpiritus armat uapore ad eos intus infuſo. Simili corallus chalcidoniúsq; aduerſum atræ bilis illuſiones, Iouis præcipue Veneríſque uirtute: cæteráq; ſimiliter eiuſmodi quadam proprietate myrobalani, iuuentutẽ ſeruant, acuúntq; ſenes, & ingenio proſunt atq; memoriæ, propter Iouem in primis Saturni temperatorẽ, atq; Mercurium ſenſus amicum. Quam quidẽ arborẽ ſor

Stellæ uirtutes occultas tribuũt rebus naturalibus & artificioſis

Corallorum uis

ATENEO VENETO
VENEZIA

te aliquis in paradiſo ad uitam prorogandam extitiſſe putabit, Mercurio lapidem achatem conſecrant: Vnde Phyſici conueniunt, ad facundiã uiſumque & contra uenena ualere. Serapio ſcribit eum qui hyacinthum uel ex eo ſigillũ geſtat, eſſe à fulgure tutum, atque hanc uirtutem eius eſſe latiſſime diuulgatam, quam ſi habet, ab Ioue putamus habere. Lapis aetites, uel aquilinus habet à Lucina, id eſt Venere utque Luna, ut admotus uuluæ, partũ mox & facilli me citet. Quod Raſis cõfirmante Serapione frequẽter ſe dicit expertũ. Forſan & à Phœbo qui trãsfixit Pythonẽ, Cretæa Dictamus habet, ut & uenenoſis obſiſtat, & ferrum è uulnere trahat. Solis uirtute zinziber infuſum epulis arcet ſyncopim. Sentiana canis rabiem ſedat, fugátque ſerpẽtes. Verbena uaticiniũ præſtare fertur, lætitiámque, & expiationes, & uiſum. Ruta & zeduaria contra uenena Theriacam agunt. Thus uitalem & animalem ſpiritũ aduerſus hebetudinem, obliuionem, timorem fulcit. Saluia uerò menthaque uirtute Iouis, illa quidẽ paralyſim fugat, hæc uerò odore roborat animum. Eadẽ uirtute Pentaphyl Pẽtaphylli
lon reſiſtit uenenis, eius q; folium bis quotidie unum uino uires.
bibitum curat Ephimeram: tria, tertianam: quatuor uerò quartanam. Hac herba ſacerdotes antiqui propter puritatem ſuã in purificationibus utebantur. Agnus caſtus potestate Saturni Venereũ ſiſtit motum: Iaſpis uerò ſanguinẽ. Mirabiles autem prouenire ſolẽt effectus, ubi occultæ proprietati proprietas ſeruit elemẽtaris, uelut ĩ myrobalano, ad ſpiritũ corpúſque firmandũ, nõ ſolũ uirtus illa cœleſtis agit, ſed etiã ſtyptica multũ, nec parum aromatica uirtus, quæ putrefactionẽ diſſolutionẽ q; mirifice prohibet, ſpiritũ q; corrobor. t. am uerò ut crocus petat cor. ſpiritũ dila

ATENEO VE... VENEZIA

tet, prouocet risum, non solum occulta. Solis uirtus mirabiliter efficit, sed ad idem quoq; conducit ipsa natura croci subtilis, amplificabilis, aromatica, lucida. Quod aũt de simplicibus dico, de cõpositis similiter dictum intelligi uolo. Dic age theriaca qũo contra uenenum nobis opituletur? Non educit illa uenenũ, astringit. n. aluum, non mutat omnino tam subito ueneni naturã, non. n. hæc adeò debilis est atq; mutabilis, sed spiritum uitalem potius ualde tenuem & mutabilem, subitò conformi quadam ad ipsum proportione corroborat usqueadeò, ut ipse iam ualidus tanquam agens, unà cum theriaca uelut instrumento partim superet uenenum, partim mutet, partim à præcordijs arceat. Sed quanam proportione siue uirtute id efficit theriaca? Iouialisimulatque Phœbea: quam ex commistione multarum rerum secundum certam proportionem inuicem cõfusarum sibi uendicasse uidetur. Est autem in ea uirtus triplex: Hæc ipsa inquam cœlestis, quam modo dicebam: Item cœlestis alia prius in herbis aromatisque proprietas, quibus electis ipsa rite componitur, quæ uirtuti prius dictæ subministrat ad idem. Est insuper alia uirtus in plerisque partibus eius, elementaris potius quàm cœlestis, ueruntamen talis, ut spiritui muniendo conducat, stypticam dico & aromaticam qualitatem: Illa quidem spiritum firmat, ista fouet. Mirabilem ergo theriaca uim nacta est contra properantem senectutem atque uenenum, tribus uidelicet in ea uirtutibus ad idem pariter conspirantibus, quarum una quidem est cœlestis, per artificiosam acquisita commistionem: alia cœlestis iterum, sed partibus eius naturaliter insita: alia prorsus elementaris. Sed illa quam prius dixi, cœlitus acquisita, multo etiam foret admirabilior,

si non solum proportione Iouia Solariq;, & ex rebus eius modi constaretur, sed etiam opportunum ad hoc, obseruatione cœlestium, tempus eligeretur. Nam quem admodum corpus se habet ad locum atq; tempus, ita motus & actio se habet ad tẽpus. Sicut ergo certa passim corpora eorũq; formæ certis & locis & temporibus coalescunt atque seruantur, sic & propriæ quædam actiones ex proprijs quibusdam temporibus efficaciam nanciscuntur: Idq; in Alcibiade significat Socrates, & Proclus explicat. Quod sanè Pythagoras animaduertẽs, ipsum bonum perfectionemq; rerum, opportunitatem cognominauit. Primũ nanq; principium sic apud Pythagoram & Platonẽ oĩum est mensura, ut alijs corporibus actionibusqúe alia loca distribuerit atq; tẽpora. Vnde sicut tres quædã nõ alibi quàm hic, nec alias quàm tunc propriè nascuntur feliciter & coalescunt, atq; seruantur: sic & materialis actio, motus, euẽtus talis, aut talis, non alias efficiã sortitur, effectumq; perfectum, quàm quando cœlestiũ harmonia ad idẽ undiq; consonat, quæ sanè harmonia tantã habere potestatem existimatur, ut non solum agricolarum laboribus atq; medicorũ artificijs per herbas aromatáque conflatis, sed etiã imaginibus, quæ apud astrologos ex metallis lapidibusqúe fiũt, uirtutẽ sæpe mirificã largiatur. Sed imagines caput iam propriũ exigunt. Quantum uerò ad horas pro actionibus & operibus eligendas pertinet, plurimum confirmatur à Ptolemæo ubi ait in Centiloquio: Qui eligit quod melius est, nihilo differre uidetur ab eo qui habet hoc ex natura. Quibus in uerbis tum cœlestium, tum arbitrij electionisque nostræ potestatum confirmare uidetur. Albertus quoque Magnus inquit in speculo: Non enim libertas arbitrij

Tẽpus opportunitas úe qd possit.

Horarũ electio quid ualeat.

ex electione horæ laudabilis coercetur: sed potius in magnarum rerum inceptionibus electionem horæ contemnere, est arbitrij præcipitatio, non libertas.

De uirtute imaginum secundum antiquos, atque medicinarum cœlitus acquisita.

Cap. 13.

PTolemæus ait in Centiloquio, rerum inferiorum effigies uultibus cœlestibus esse subiectas, antiquósque sapientes solitos certas tunc imagines fabricare, quãdo Planetæ similes in cœlo facies, quasi exẽplaria inferiorum ingrediebantur. Quod quidẽ Haly comprobat ibi dicens: Vtilem serpentis imaginem effici posse, quãdo Luna serpentẽ cœlestem subit, aut feliciter aspicit. Similiter Scorpionis effigiem efficacem, quando Scorpij signũ Luna ingreditur, ac signum hoc tenet angulum ex quatuor unum. Quod in Aegypto suis tẽporibus factum ait, séque interfuisse, ubi ex sigillo Scorpionis in lapide Bezahar, ita facto, imprimebatur thuri figura dabaturq; in potum ei, quẽ Scorpius ipse pupugerat, ac subito curabatur. Quod quidẽ utiliter effici Habamed physicus affirmat, confirmante Serapione. Præterea narrat Haly, notũ illic sibi uirũ sapiẽtem industria simili feciſſe imagines quæ mouerẽtur: qualẽ effectam, nescio quo, legimus ab Archita. Quales & Trismegistus ait, Aegyptios ex certis mũdi materijs facere cõsueuisse, et in eas opportune aĩas dæmonũ inserere solitos, atque animam aui sui Mercurij: Item Phœbi cuiusdam, & Isidis Osyridisq; sic in statuas descendisse, prosuturas hominibus, uel etiam nocituras. Huic illud simile: Prometheum figmento quodam luteo uitam rapuisse, lucémque cœlestem. Magi quinetiã Zoroastri sectatores, ad euocan-

dum ab Hecate ſpiritum, utebantur aurea quadam pila characteribus inſignita cœleſtium, cui & ſapphirus erat inſertus, & ſcutica quadam facta tauri corio uertebatur, atque interim excantabant. Sed cantiones equidem libenter omitto: Nam & Pſellus Platonicus eas improbat atque deridet. Hebræi quoque in Aegypto nutriti, ſtruere uitulum aureum didicerunt ut eorundem aſtrologi putãt, ad aucupandum Veneris Lunæque fauorẽ, cõtra Scorpionis atque Martis influxum Iudæis infeſtum. Porphyrius quoque in epiſtola ad Anebonẽ, imagines efficaces eſſe teſtatur, additque certis quibuſdã uaporibus qui à proprijs ſuffumigationibus exhalabant, aerios dæmonas inſinuari ſtatim conſueuiſſe. Iamblichus in materijs quæ naturaliter ſuperis conſentaneæ ſint, & opportune ritéque collectæ undique conflatæque fuerint, uires effectusque non ſolum cœleſtes, ſed etiam dæmonicos & diuinos ſuſcipi poſſe cõfirmat. Idem omnino Proclus atq; Syneſius. Opera quidem ad ſalutem mira quæ à medicis in aſtrologia peritis, p res ex multis cõpoſitas. i. pulueres, liquores, unguẽta electuaria fieri poſſũt, probabiliorẽ in ſe rõnẽ et notiorẽ q̃ imagines habere uidẽtur, tũ qa pulueres, liquores, unguẽta, electuaria opportune confecta cœleſtes influxus facilius citiúsq; ſuſcipiũt quã materiæ duriores, ex qbus imagines fieri cõſueuerũt, tũ qa uel aſſumũtur intus affecta iã cœlitus, & in nos cõuertuntur, uel ſaltẽ admota foris inhærent magis, & denique penetrant. tum etiam quoniam ex uno quodã duntaxat, aut perpaucis imagines cõſtruũtur: Illa uerò ex quãplurimis cõflari pro arbitrio poſſunt: Vt ſi cẽtũ Solis Iouisue dotes per cẽtũ plantas & aĩalia ſimiliáque ſparſæ fuerint, componere ſimul hæc centum

tibi cõperta posis, & in unam conficere formam, in qua Solem fermè Iouemq; totũ iam uidearis habere. Scis profectò naturam inferiorẽ non posse uno quodã capere cunctas superioris naturæ uires: ideóq; illas per plures apud nos naturas esse dispersas, cõmodiusq; per opera medicorum atq; similia, quàm per imagines colligi posse. Proinde imagines ex ligno confectæ uim forte paruam habent: nam lignũ & forsan durius est ad cœlestem influxum facile capiendum, & minus tenax si acceperit, retinendum, et omnino postquàm ex matris terræ uisceribus est euulsum, paulò pòst fermè totum amittit mundanæ uitæ uigorem, & facile in qualitatem aliam transmutatur. Lapilli uerò atq; metalla, & si ad accipiendum cœleste munus duriora uidentur, diutius tamen retinent: quod cõfirmat Iamblichus, si acceperit: Sua nempe duritia, ueſtigia quoq; donaq; uitæ mundanæ post euulsionem diutißime cõtinent, quæ quõdam hærentia terræ possederant. Quamobrẽ ob hoc saltem aptæ materiæ ad capienda tenendaq; cœlestia iudicantur. Est & probabile quod libro superiore dixi, res adeò speciosas nõ posse sub terra cõflari, nisi maximo quodam conatu cœli, atq; durare in eis ĩpressam semel ex conatu utrutẽ: Nã in his coquendis cogendisq; diutißime cœlum elaborauit. Verum cũ nequeas facile eiusmodi plura componere, cogeris diligenter exquirere, quod metallum inter cætera in ordine sit alicuius stellæ potißimum, quiue lapis in ordine summus, ut saltem in uno quodam totius generis ordinisq; supremo, reliqua pro uiribus comprehendas, atq; eiusmodi susceptaculo cœlestia huic consentanea mutueris: ceu si, exempli causa, in ordine Solari, sub homine Phœbeo, summũ inter animalia teneat Astur aut gallus,

aut gallus, inter plantas balsamum aut laurus, inter metalla aurum, inter lapides carbunculus uel pantaura, inter elementa feruidus aer: nam ignis ipse Martius esse censetur. Quod autem diximus influxum Solis uel Iouis aut Veneris augendum, intelligimus ratione communi, non tamen illi in cuius genesi aliquis horum interfector appareat.

De ordinibus rerum à stellis pendentium, ut Solarium atq; similium. Et quomodo spiritus fiat Solaris. Cap. 14.

DIxi equidem alibi, desuper ab unaquaq; stella (ut Platonice loquar) seriem rerum illi propriã usq; ad extrema pendere. Sub ipso Scorpionis corde post eiusmodi dæmonas atq; hõmines, scorpiũq; animal, collocare possumus etiam herbam Asterion, idest stellarẽ, figura stellæ similem, nocte fulgentem, quam medici tradunt qualitatem habere roſæ, uimq; cõtra morbos genitalium mirabilem poßidere. Sub serpente uel serpẽtario coelesti Saturnum ponunt, & quodammodo Iouem. Postea dæmonas, qui sæpe serpentum formas induũt. Similes insuper homines, serpentes animantes, serpẽtariam herbã, lapidem. Draconitem capite draconis natum: Item cõmuni nomine Serpentinum. Et præterea quæ in sequentibus afferam. Sub stella Solari, id est Syrio, Solem primo, deinde dæmonas quoq; Phœbeos, quos aliquando sub leonum uel gallorum forma hominibus occurrisse, testis est Proclus. Homines subinde persimiles bestiás q; Solares. Phoebeas inde plãtas, metalla similiter et lapillos, et uaporẽ aerem q; feruentem. Simili ratione à qualibet firmamenti stella per aliquem Planetam existimant cõtextum rerum gradatim sub illius proprietate descendere. Si igitur (ut di-

cebam) Solaria omnia per gradum eius ordinis quemlibet opportune cõprehẽderis, homines uidelicet tales, uel talis hominis aliquid: ité bruta, plãtas, metalla, lapillos, et quæ ad hæc attinent, uirtutem Solis usquequaq; cõbibes, et quodãmodo naturalem Solariũ dæmonum facultatem. Similiter q; de alijs dictum puta. Solares quidem homines sunt quales antea dixi, & qui ascendente Leone, Soléque

Homines qui Solares

hunc uel tenente uel aspiciente nascuntur, et qui sub Ariete similiter. Solaris est & sanguis è sinistro eorum beneualẽtium brachio missus. Phœbeus, crocodilus, astur, leo, gallus, & cygnus, et coruus. Nec alia ratione leo ueretur gallũ, nisi quoniam in ordine phœbeo gallus est leone superior. Eadem ratione inquit Proclus, Apollineũ dæmonẽ, qui nõnũquàm apparuit sub figura leonis, statim obiecto gallo disparuisse. Maxime uerò in his animalibus cor est Solare. Arbitror etiam marinum uitulum cœlestis Leonis cordi subesse, et hac ipsa rõne coriũ eius quem cingit nudũ fibula eiusdẽ osse cõfecta, à renum dolore redimere. Nã cõtra dolorẽ eiusmodi solẽt astrologi syderis illius influxibus uti. Eadẽ forte ratiõe fertur hæc pellis à fulgure nos tueri. Inter plãtas palma phoebea est, et in primis laurus, quæ uirtute uenenosa repellit et fulgur: Fraxinus quoque simili facultate uenenosa lõgus arcet. Lotõ esse phoebeam, rotunda tum folia tum poma testantur, & explicatio foliorum eius die, replicatio uerò nocte. Pæoniã phoebeam esse, non solum uirtus indicat, sed & nomen. Ad idẽ attinent flores & herbæ quæ restringuntur, abeũte Sole: redeũte protinus explicãtur, & ad Solẽ cõtinue uergũt. Aurũ præterea & lapis Elitis radijs aureis Solẽ imitãs. Lapis itẽ qui solis oculus appellatur, figurã hũs pupillæ,

ex qua lumen emicat. Rursum carbunculus nocte rutilãs, Pãtaura o
uel Pantaura omnes in se lapidum uires continens, ut aurũ mniũ in se
metallorum, & Sol Stellarum. Multa denique in superio- lapidum ui
ribus nobis significata, unde si modò liceat, sub impio So- res cõtinet
lis ex illo sanguine, & animalium illorum cordibus, & fo
lijs fructibus q; arborum prædictarum: item floribus atq;
herbis & auri fõlijs, necnon pulueribus lapillorũ, electua
riũ uel unguentũ cõficere poteris, addito croco, balsamo,
calamo aromatico, thure, musco, ambra, ligno aloes, zinzi
bere, mastice, spica nardi, cinnamomo, doronico, citri corti
ce, zedoaria, nuce muscata, mace, chariophylis cum melle
flauo uel oleo balsamĩo, masticeo, laurino, nardino, ad cor,
& stomachum, & caput intus aut extra fouendum, ut spi
ritus inde Solaris euadat. Ex his omnibus, inquã, aut saltẽ
ex pluribus cõponendũ dominãte Sole aliquid. Quo etiã
sub eiusdẽ dominatu incipias uti, dummodo & Solaria in-
duas, habites, conspicias, audias, olfacias, imagineris, cogi
tes, cupias. Item imiteris & uita dignitatẽ, & munera So
lis: Inter Solares hoĩes plãtasq; uerseris, laurúmq; aßidue
tangas. Tutius aũt ad ualetudinem fuerit, Solaribus admi-
scere Iouialia simulatque Venerea: Venereã maxime humi
ditatẽ Solaris caloris moderatricẽ, qualis est, aqua succús-
que rosarũ atque uiolarũ. Sed medicinas eiusmodi in lib. de
curandis literatis primũ, deinde in lib. De uita longa, par-
tim equidẽ cõposui, partim ab alijs compositas enarraui,
partim etiam temperaui. Item quales herbæ à Sole Iouẽ-
que miras contra epidemiam & uenenum uires habeant,
diximus in lib. Contra pestem, inter quas perforata, fuga- Fugade-
dæmon appellata est: Nec alia facultate quàm cœlestium mon.
gratiarum noxios malorum dæmonũ uapores à nobis ar-

cere putatur. Et si qua inter herbas alia uel lapillus ut corallus, idem uideatur efficere. Herba profectò Lunaris à Mercurio tradita foliis cœruleis atq; rotũdis, crescẽte Luna unũ quotidie producens folium, decrescente deponens, annos utenti promittit Lunares. Sed iam ad imagines altero quodam exordio redeamus.

Lunaris herba.

De uirtute imaginum secundum antiquos atque medicinarum: Et quomodo medicinæ sint longe ualidiores quàm imagines. Cap. 15.

SI lapillos quos paulò ante Phœbeos narrauimus natus fueris, nihil opus erit imagines eis imprimere. Suspendes itaq; collo comprehensos auro, crocei ferici filis, quando Sol sub Ariete uel Leone percurrit ascenditq; uel medium tenet cœlum, aspicitq; Lunam. Multo uerò potentiores in serie Lunæ lapillos narrat Proclus. Primũ quidẽ Selinitim, qui non modo figura Lunã imitetur, sed & motu circũeatq; cũ Luna. Hũc si fortè repereris, et argento circundatum argenteo filo collo suspẽderis, Luna Cancrũ uel Taurum subeunte, angulósque tenente sibi cõuenientes, spiritũ inde tuum reddet, postremo Lunarum. Dum utdelicet calefactus abs te lapillus ipse Lunaris uirtutẽ suam tuis assidue spiritibus inserit. Alterum uerò recẽset lapillum, Helioselinon cognomento, qui Solis Lunæq; conunctæ Soli, naturaliter habet imaginem. Hunc ergo quisquis argento inclusum de aurato similibus collo filis admouerit, quãdo Luna in domicilio suo uel Solis in eodẽ minuto cũ Sole congreditur. suosq; teneat angulos, Solarem simulatq; Lunarum spiritum reportabit, aut saltem talem qualis euadit Luna per centrũ copulata Soli. Hic uerò

Lapidum certorũ potentiæ.

tu uides dispersas Phœbi dotes, uelut Osyridis membra, so rorem eius Phœbem uelut Isidem congregare. Sed utinam Solarem alicubi lapidem facile reperiremus uel Lunarem, adeò in eorum ordine præpotentem, quẽadmodum sub serie Septentrionalis poli Magnetẽ habemus & ferrum. So larẽ profectò ferũt inuenisse apud Indos Apolloniũ Thea næum, lapidem scilicet nomine Pantauram, ignis instar mi cantem. sub terra passus quatuor nascentem, cui tantum spi ritus insit ut tumeat, & plerunq; scindatur terra, ubi eius modi lapis cõcipitur: ita cæteros ad se lapillos trahẽs, sicut Magnes ferrum. Sed lapis hic Herculeus ad se contẽplandũ uehementius adhuc nos in præsentia rapit. Videmus in speculanautarũ indice poli libratum acum affectum in extremitate Magnete moueri ad Vrsam, illuc uidelicet trahẽte Magnete: quoniam & in lapide hoc præualet uirtus Vrsæ, & hinc transfertur in ferrũ, & ad Vrsam trahit utrunque. Virtus autẽ eiusmodi tum ab initio infusa est, tum continuè Vrsæ radijs uegetatur. Forsitan ita se habet succinũ ad polum alterũ & ad paleas. Sed dic interea, Cur magnes trahit ubique ferrum? non quia simile, alioquin & Magnetẽ Magnes traheret multo magis. ferrum q; ferrũ: non quia superior in ordine corporum, imò superius est lapillo metallum. Quid ergo? Ambo quidem ordine Vrsam sequente clauduntur, sed superiorẽ in ipsa Vrsæ proprietate gradum tenet Magnes, inferiorem uerò ferrum. superius autẽ in eodẽ rerum cõtextu trahit quidem quod est inferius, & ad se conuertit, uel aliter quomodolibet agitat, aut afficit uirtute prius infusa. Inferius uicissim eadem ad superius in fusione conuertitur, uel aliter agitatur, uel prorsus afficitur. Sic in serie Solis inferior homo admiratur superio-

Magnes cur ferrum trahat.

rem: In ordine Iouio ueneratur: In Martio timet: In Venereo inferior ad superiorē rapitur amoris ardore, deseritq; seipsum: In Mercuriali semper hic discit, uel persuadetur ab illo: In Lunari motū hic ab illo sæpius exorditur: In Saturnali quietem. Ego autē cū hæc explorata hactenus habuissē, admodū gratulabar, cogitabāq; iuuenis adhuc Magneti pro uiribus insculpere cœlestis Vrsæ figuram, quando Luna melius illuc aspiciat, & ferreo tunc filo collo suspendere. Sperabam equidem ita demum uirtutis me syderis illius compotem fore. Sed cum diutius explorassem, inueni tandem syderis illius influxus Saturnales esse plurimū atq; Martiales. Accepi à Platonicis malos dæmonas plurimum Septentrionales existere, quod etiā Hebræorū astronomi confitentur, noxios Martiosq; dæmonas in Septentrione ponentes: Propitios autem & Iouios, in meridie. Lapidis è draconis capite exēpti historia. Didici à Theologis, & Iamblico, imaginum fictores à dæmonibus malis occupari sæpius, atque falli. Vidi equidem lapillum Florentiam aduectum ex India, ibi è capite draconis erutum: rotundum, ad numi figuram punctis ordine quamplurimis quasi stellis naturaliter insignitum, qui aceto perfusus mouebatur parumper in rectum, imò obliquū, mox ferebatur in gyrum, donec exhalaret uapor aceti. Existimaui equidem lapillum eiusmodi cœlestis draconis habere naturam, atque quasi figuram, motum quoque illius accipere quatenus per aceti seu uini ualentioris spiritum, draconi illi siue firmamento familiarior redderetur. Hunc igitur qui gestaret, & aceto sæpe perfunderet, uim aliquam forte draconis illius acciperet, qui geminis anfractibus hinc quidem Vrsam maiorem implicat, inde minorem. Extat & propè Scorpionē serpentarius quasi homo serpente

cinctus manu dextra caput serpētis tenēs, siniſtra caudā, genibus quaſi flexis, capite paulum reſupino. Legi equidem magos Perſarū regi conſuluiſſe, ut imaginem hanc lapidi imprimeret Hæmatiti, quem aureo clauderet anulo, ita tamen ut inter lapillum atq; aurū ſerpentariæ radicē inſereret. Hoc. n. anulo geſtantē contra uenenū morbosq; uenenoſos tutum fore, uidelicet ſi Luna ſerpentariū aſpiciēte feceris. Hanc imaginē Petrus Aponēſis cōfirmauit. Ego uerò, ſi hanc anulus ille uim habet, arbitror non tam per figuram quàm per materias eiuſmodi, et hoc pacto tē poreq; compoſitas ſibi cœlitus uendicare. Memento lapillos naſcētes in animalibus nec inde languentibus, ut in draco ne, gallo, hirundine, cæterisq; efficaces exiſtere fermè, ut lapilli in terra naſcentes, atq; ad eaſdem referri ſtellas, ad quas hæc aīalia ptinent. Hinc Alectorius ex uentriculo galli ueteris tractus pollet, poteſtate Solari, per quē Dioſcorides ait ſæpe cōpertū eſſe, eum pugnare inuictum, qui lapillū hunc ore geſtaret. Idē ait, Chelidonium erutū ex hirūdine ruſum curare melācholicū, & amabilē idoneūq; reddere. Quod quidē habet ex Ioue, per ea quæ diximus, ſcilicet res ubiq; infra Lunam ſtellares exiſtere. Confirmatur dictū illud ualde Platonicum, hanc mūdi machinā ita ſecum eſſe cōnexā, ut & in terris cœleſtia ſint cōditione terrena, & in cœlo uiciſſim terreſtria dignitate cœleſti, et in occulta mūdi uita mēteq; regina mundi, cœleſtia inſint uitali tamē intellectualiq; proprietate, ſimul et excellētia. Per hæc inſuper cōfirmāt nōnulli etiam illud magicū, per inferiora uidelicet ſuperioribus cōſentanea poſſe ad homines tēporibus opportunis cœleſtia quodāmodo trahi, atq; etiā p cœleſtia ſupcœleſtia nobis cōciliari, uel forſan pror

Hæmatitis imago cōtra uenena & morbos

Alectorij lapidis uis ex Dioſcoride

ſus inſinuari: ſed poſtremum hoc illi uiderint. Verum illud arte quadam rite & opportune in unum plurima colligente, fieri poſſe probabile ſatis (ut diximus) eſſe uidetur, tum rationibus quas in ſuperioribus aßignauimus, tũ quia eiuſmodi multa qñ apud medicum et aſtrologum colliguntur, contunduntur, cõmiſcentur, cõcoquuntur ſub ſydere certo, dum ipſa per ſe ratione concoctionis atq; fermenti nouam paulatim formam ſubeunt hanc ipſam acquirunt certo quodam fomento cœleſti, radijs tũc intus agentibus, ideóque cœleſtem. Metallum uerò uel lapillus quando momento ſculpitur, non uidetur nouam accipere qualitatem, ſed figuram. Neque motio illa per debitos digeſtionis gradus, quos alteratio naturalis atque generatio ſolet obſeruare, progreditur. Cum uerò natura cœleſtis, tanquam inferioris naturæ regula, ſoleat tenore quodam progredi naturali, & ita progredientibus aſpirare, merito diffidunt plerique, imagines eiuſmodi cœleſtem aliquam uirtutem habere. Ego quoque ambigo ſæpius, ac niſi & omnis antiquitas & omnes aſtrologi uim mirabilem habere putarent, habere negarem: Negarem equidem non omnino, opinor enim (niſi quis aliter perſuaſerit) ad proſperam ualetudinem ſaltem aliquam habere uirtutem, electæ præſertim ratione materiæ: tametſi multo maiorem ineſſe pharmacis arbitror, & unguentis ſydereo fauore conflatis. Quid uerò uoluerim ubi modo docebam electæ retione materiæ, in ſequentibus declarabo. Quæ uerò ex Magorũ uel aſtrologorũ opinione ad Plotinum interpretandum pro imaginibus allegari poſſunt, deinceps breuiter afferam, ſi te prius hic admonuero, ne putes probare me uſum imaginũ, ſed narrare: Ego.n.me

Medicinæ corporis et animæ

dicinis ad cœlũ tẽperatis, nõ imagnibus utor, atq; ita cæteris quotidie cõsulo. Tu uerò si concedis deũ rebus infra Lunã mirabiles ĩseruisse uirtutes, mirabiliores cõcede cœlestibus. Præterea si licere iudicas homini ad prosperã ualetudinẽ inferioribus uti, iudica, superioribus quoq; licere atq; inferiora ad superiorem normam, sic medicorũ artificio temperare, sicut etiam à deo sunt ab initio tẽperata.

De potestate cœli: De uiribus radiorum unde uim sortiri putentur imagines. Cap. 16.

IMmẽsa fermè coelestium magnitudo, uirtus, motio facit, ut omnes omniũ syderum radij terræ molem quæ quasi punctum est ad cœlum, momẽto facillimeq; usq; ad centrum recti penetrent, quod omnes Astronomi confitentur: Ibiq; ut placet Pythagoreis atq; Platonicis fortissimi sint: tum quia recti undiq; centrum tangunt, tũ quia in augustum collecti sunt cuncti. Quorum uehementia, materia ibi terræ sicca procul ab humore remota prorsus accenditur, accensáq; extenuatur, atq; dispergitur per meatus undiq;, & efflat incendia pariter atq; sulphur. Sed ignem hunc putant ualde caligniosum esse, & quasi incendium quoddam luminis expers, sicut in cœlo extat expers incendij lumen: ignis autem inter coelestem atque infernum, lumen cum feruore coniungit. Putant autem ignem è centro flantem ignem esse Vestalem: siquidem Vestam esse terræ uitam numẽque putabant. Ideoque Vestæ templum ueteres in medijs urbibus construebant, igneq; in medio perpetuum collocabant. Sed ne ulterius peruagemur concludamus iam, si stellarum radij totam mox terram penetrant, negari non facile posse metallum atque lapillum, quando cælantur imagnibus subito penetrare,

Vestæ deæ templũ in urbibus medijs constructum

eisq; miras uel saltem qualescunq; imprimere dotes. Quã doquidem & in aluis terræ pretiosissima generant. Sed quis neget per hæc radios penetrare? Siquidem aer et qua

Radij syderum terræ molem ad cẽtrũ usq; penetrant

litas eius, & sonus minus efficax solida transit subito, & sua quadam afficit qualitate. Iam uerò si duritia radijs obsisteret penetrantibus, lumen multo citius aerem quàm aquam pertransiret, & hanc ocyus multo quàm uitrum, & uitrum similiter quàm crystallum: At cum eodem momento solida, quò liquida, cuncta transuerberet, perspicue constat duritiam radijs nullo modo resistere. Atque idcirco dicent non esse negandum metalla cœlestium radios influxúsque suscipere, atq; etiam conseruare ad tempus, tũc sibi cœlitus destinatum. Cõseruare, inquam, uirtutem quã dam ex radiorum concurrentium cõtactu creatam. Quid uerò, si materia durior hoc ipso qd' uidetur obsistere causæ prepotenti magis ictibus se exponit? Sic ensis lignum sub lana incidit, non incisa lana: Sic radius ille fulmineus corio quandoq; non læso dissoluit in eo metallum. Cũ uerò natura cœlestis nostro hoc igne incõparabiliter sit præstantior, non est putandum radij cœlestis officiũ esse duntaxat, quale opus ignei radij manifeste uidemus. s. illuminare, cãlefacere, exiccare, penetrare, extenuare, dissoluere, quæ nostris sensibus notissima sunt, sed multo plures mirabiliores q; uires & effectus habere: alioquin & materia inferior, & caducus sensus cum diuinitate cœli penitus æquaretur. Sed qs nesciat uirtutes rerũ occultas, quæ

Radij cœlestis efficacia

speciales à medicis nominantur, non ab elemẽtari natura fieri, sed cœlesti? Possũt itaq; (ut aiũt) radij occultas et mirabiles ultra notas imaginibus ĩprimere uires, sicut & cæteris inferunt: Nõ. n. inanimati sunt, sicut lucernæ radij. sed

uiui, ſenſualéſque tanquam per oculos uiuentium corporum emicantes, dotéſque mirificas ſecũ ferunt ab imaginationibus mentibúſq; cœleſtiũ: uim quoq; uehemẽtiſ. ex affectu illorum ualido, motúq; corporũ rapidiſſ. ac proprie maximéq; in ſpiritũ agunt cœleſtibus radijs ſimillimum. Agunt inſuper in corpora uel duriſſ. omnia. n. hæc ad cœlum infirmiſſ. ſunt. Sunt autẽ in uarijs Stellis uariæ quoq; uires, & idcirco in radijs earum inter ſe uariæ. Præterea in radiorum ictibus, aliter atque aliter incidẽtibus uirtutes diuerſæ naſcuntur. Deniq; in concurſibus radiorũ mutuis aliter atque aliter, & hic aut ibi, & tunc aut alias effectis diuerſæ ſubito uires ſuboriuntur, multo magis atque citius quàm in alijs atque alijs elementorũ qualitatúmq; elementaliũ miſtionibus: multo etiam citius quàm in tonis & numeris apud Muſicũ aliter & aliter concinentibus. Si hæc diligenter conſideraueris, forſitan non diffides, dicent. ſubito quodã radiorum iactu uires imaginibus imprimi, atque ex diuerſo iactu diuerſas. Nunquid ergo tam cito? Mitto faſcinationes repentino quodam intuitu factas: Et amores acerrimos ſtatim accenſos radijs oculorũ, qui & ipſi ſunt faſcinamenta quædam, quod in lib. De amore probamus: Mitto quàm cittò rubens oculus inficiat intuentem: & ſpeculum intuens fœmina menſtruoſa. Nónne & familiæ quædam apud Illyricos & Triballos iratæ, intuitu homines interemiſſe feruntur? Et fœminæ quædam in Scythia idem facere conſueuiſſe? Et Catoblepæ regulique ſerpentes radiorum ex oculis iactu homines perimunt. Torpedo quoque marina tactu etiam procul per uirgam manum ſubitò ſtupefacit. Echeneis præterea piſciculus grandem ſolo tactu nauem ſiſtere fertur. Phalangia quinetiam in Apu-

lia ictu quopiam uel occulto, spiritum animúmque repentino stupore permutant. Quid rabiosus canis facit, uel nõ apparente morsu? Quid scopa, deinde quid arbutus? Nõne leuissimo tactu uenenum concitant atque rabiem? An ergo negabis cœlestia oculorũ suorum radijs, quibus nostra cõtuentur simulatque contingunt statim miranda perficere? Iam uerò grauida mulier tactu statim signat tmembrũ hominis nascituri, rei desideratæ nota. An uerò dubitabis radios aliter aliterúe tangentes diuersa cõficere? Cum & tu helleborum herbã colligens, siue fõlium deorsum trahas, siue sursum, hoc subito tactu causa sis helleboro, ut deorsũ educat humores, aut sursum? Nõne ab initio rei cuiusq; generandæ cœlestes influxus cõcoctione materiæ, digestione néque perfecta non tam tẽpore quàm momẽto dotes mirificas larguntur? Nónne suffragante cœli uultu innumerabiles sæpe ranæ, similesq; animãtes ex arenis momẽto prosiliunt? Tanta est in materijs præparatis potentia cœli celeritas. Denique si ignis hoc habet, ut tempore quàm breuissimo faciat quæ cætera longo, ob id præcipue quòd est cœlo simillimus. Quis nam dubitet, cœlum magna quasi momento perficere etiam in materia minus parata, sicut flãma solet ingentior? Quid ergo dubitas, inquiunt, in imagine construenda fermè similiter agere cœlum? Dices opinor, sicut & ego dicebam, naturales hic alterationis gradus abesse: Quid sanè defectus minuit quidẽ cœleste donum, nec tamen penitus auferre uidetur. Nolũt enim Physici ex quolibet metallo uel lapide imaginem fabricari, sed certo: In quo quidem natura cœlestis, uirtutem olim ad hoc ipsum quod optatur naturaliter inchoauerit, & quasi iamiam perfecerit, ut in sulphure flammam: Quam sanè

uirtutem tunc demum perficiat, quando materia hæc per artem subsimili quodam influxu cœlesti uehementer agitatur, & agitata calescit. Itaq; ars suscitat inchoatam ibi uirtutem, ac dum ad figuram redigit, similem suæ cuidam cœlesti figuræ, tunc suæ illic ideæ prorsus exponit, quam sic expositam, cœlum ea perficit uirtute qua cœperat exhibẽs quasi sulphuri flammam: Sic potentia quædam ad rapiendas paleas cœlitus data succino, quodãmodo debilis, sæpe per frictionem calefactionémque facta ualidior, subitò rapit. Similem uirtutem Serapio scribit datam lapidi Albugedi quasi hyacintho simili: Sed non prius trahere paleas, quàm capilli hoc lapide perfricentur. Sic item lapis ille Iouius Bezahar, id est à morte liberans, quem descripsimus in lib. contra pestem, uim ab initio contra uenenum accepit ab Ioue, sed non usqueadeò ualidam, ut eandẽ tradere possit materijs alijs exercendam. At uerò cũ primũ sub Scorpionis cœlestis influxu figurã superni illius acceperit, perfectã cõtra Scorpiones subitò uim reportare putatur, quã Mastici cõicare ualeat aut thuri. Eadem quoq; de hyacintho, topazio, smaragdo, cæterisq; ratio est habenda. Vt fabrica figurarum non alibi efficaciã habeat, quàm ubi materia cum Stella congruit & effectu, à qua hunc faber exoptat accipere: Ac præterea ubi hæc ipsa materia quasi iam talis est ab initio, qualem affectas reddere per figurã. Nullis ergo materijs ad imagines uti consulunt, nisi his ipsis quæ tibi notæ sunt, hanc ipsam fermè iam uim habere quã cupis. Lapillorum itaque uires atque metallorum diligentißime persecutari iubent, intereáque meminisse, inter lapillos quidem Carbunculum in tenebris coruscantem, atque Pentauram præcipue Soli subesse, Sapphirum Ioui, Sma-

ragdum Veneri, Mercurio, Lunæ. Præterea metalla præter aurum & argentum uix ullam ad hæc habere uirtutẽ: tutiorémque in his rationẽ fore, si aurum quidem purum ad Solem referas atque Iouem, ad illum quidẽ propter colorem, ad hũc aũt propter tẽperatam cõmistionẽ, nihil. n. Ioue & auro temperatius: Purum uerò argentum ad Lunã: sed ad Iouem simulatque Venerem aurum argento per mistum. Præterea imaginem efficaciorem fore, si uirtus in materia eius elementaris conueniat cũ speciali eiusdem uirtute naturaliter insita, atque hæc insuper cũ uirtute altera speciali per figuram cœlitus capienda. Denique figuras inferiores & formas cœlestibus conformari, inde perdisces, ut aiunt, quod Perseus truncato Medusæ capite, futuram nonnullis obtruncationem portendere consueuit, multaq; similiter, & Lunam alios q; planetas sub certis signis, certa in nobis membra mouere, non dubitant.

Imagnis ĩ primẽdæ a ptitudo cũ Stellis.

Quam uim habeant figuræ in cœlo atq; sub cœlo. Cap. 17.

SEd ne figuris nimium fortè diffidas, meminisse iubebunt, in regione hac sub Luna elementari, elementarem quoq; qualitatem posse quãplurimũ, in transmutatione uidelicet ad aliquid elemẽtare tendẽte, calorẽ. s. & frigus, & humorẽ atq; siccitatem. Qualitates aũt quæ minus elementares materialésue sunt, scilicet lumina, id est colores, numeros quoque, similiter & figuras ad talia fortsitan minus posse, sed ad cœlestia munera, ut putant, ualere permultũ. Nam & in cœlo lumina, & numeri, & figuræ, sunt fermè omnium potentissima: præsertim si nulla sit ibi materia, quod Peripatetici plerique putant. Sic enim figuræ, numeri, radij, cum non alia sustineantur ibi mate-

ria, quali substantiales esse uidentur. Atq; cum in ordine rerũ mathematicæ formæ physicas antecedãt, tanquã simplices qdẽ magis, et minus egenæ, meritò in ãtecedẽtibus mũdi gradibus. i. coelestibus, authoritatem sibi maximam uendicant, ut non minus inde fiat numero, figura, luce, quàm elementari quadam proprietate. Huius quidem authoritatis habetur etiam sub Luna signum. Qualitates. n. ualde materiales plurimis rerum speciebus sunt communes, eisque quodãmodo permutatis, nõ usquequaque species commutantur. Figuræ autem, numerique partium naturalium, proprietatem cum specie inseparabilem peculiarémque possident, utpote quæ coelitus unà cum speciebus destinata fuerunt. Immo & cum ideis maximam habẽt in mente mundi regina cõnexionem. Atque cum ipsæ numerique species quædam sint ideis ibi proprijs designatæ: nimirũ uires inde proprias sortiuntur: Ideóque tum species naturalium certis figuris, tum motus, & generationes, et mutationes certis numeris astringuntur. De lumine uerò quid dicam? Est enim actus intelligentiæ uel imago. Colores autem sunt lumina quædam: Quamobrem ubi lumina id est colores, figurásque, & numeros astrologi dicunt in materijs nostris ad coelestia præparãdis posse quampluri mum, non temere, ut aiunt, debes ista negare. Non ignoras concentus per numeros proportionésque suas, uim habere mirabilem ad spiritum & animum & corpus sistendum, mouendum, afficiẽdum. Proportiones autem ex numeris constitutæ, quasi figuræ quædam sunt, uel ut ex punctis lineisque factæ, sed in motu Similiter motu suo se habẽt ad agendũ figuræ coelestes: Hæ nanque harmonicis tum radijs tum motibus suis omnia penetrantibus spiritũ

indies ita clàm afficiunt, ut Musica præpotens palàm affi cere consueuit. Nosti præterea quàm facilè multis miseri cordiam moueat figura lugentis: Et quantum oculos imaginationemq;, & spiritum, & humores afficiat statim at que moueat amabilis personæ figura: Nec minus uiua est & efficax figura cœlestis. Nónne principis in urbe uultus quidem clemens et hilaris exhilarat omnes? Ferox ue rò uel tristis repente perterret? Quid ergo cœlestium uultus, dominos omniũ terrenorũ, aduersus hæc efficere pos se putas? Quippe cum etiam coeuntes ad prolem plerunque uultus, non solum quales ipsi tunc agunt, sed etiã qua les imaginantur, soleant filijs diu postea nascituris imprimere. Vultus eadem ratione cœlestes materias confestim, suis notis inficiunt, in quibus siquando diu latitare uiden

Vultus coeli

tur, temporibus deinde suis emergunt. Vultus autem cœli sunt figuræ cœlestes: Potes uerò facies illic appellare figuras cæteris ibi stabiliores. Vultus autem, figuras quæ magis ibi mutantur: Aspectus quoq; inter se stellarum motu quotidiano cõfectos, uultus appellare potes, similiter et figuras: Nam hexagoni, pentagoni, tetragoni nominantur. Esto, dicet quispiam, sint ut placet potentißimæ ad efficiẽdum figuræ cœlestes, uerum quid hoc ad figuras imaginũ artificio factas? Respondebunt, nõ id potißimũ cõtendere ut potẽtißimæ per se ad agendũ sint nostræ figuræ, sed ut paratißimæ ad actiones et uires figurarum coelestium capiendas, quatenus opportune fiunt dominãtibus illis, atq; examußim ad illas cõfigurãtur: Exigit. n. figura illa figurã. Nónne sonante cithara quadã, altera reboat? Ob id tãtum, si & ipsa similem figuram habeat, atq; è conspectu sit posita, et fides in ea positæ et intẽtæ similiter. Quidnã

hic efficit,

hic efficit, ut cithara subitò patiatur à cithara, nisi situs aliquis & quædam figura cõformis? Figura speculi lenis, cõcaua, nitens, cœlo congrua, ob hoc ipsum propriè munus tantum cœlitus accipit, ut radios Phœbi in se cumulatißime complectatur, & solidißimum quodque ad centrum suum è conspectu locatum repente comburat. Ergo ne dubites dicent, quin materia quædam imaginis faciendæ, alioquin ualde congrua cœlo, per figuram cœlo similem arte datam, cœleste munus, tum in se ipsa concipiat, tum reddat in proximum aliquem uel gestantem. Non solum uerò figura, sed etiam dispositio peruia, quam Diaphanam uocant, inefficax quiddam est, et passiuum suapte natura. Veruntamen quoniam peruia dispositio est in cœlo propriũ luminis susceptaculum, ideò ubicunque sub cœlo hæc uel est naturalis, uel modo aliquo cõparatur, subitò præsens cœleste lumen acquiritur, atque etiam cõseruatur, ubi unà cum hac uel calor est igneus, ut in flamma, uel est aliquid aerium, aqueúmue simul et glutinosum, ut in noctilucis et nocticernis, & carbunculis, atq; forsan quodammodo in Cãphora. Quid inde sequatur, p imaginibus, ipse reputa.

Quales cœlestium figuras antiqui imaginibus imprimebant: Ac de usu imaginum. Cap. 18.

ALiquis autem quæret, quas potißimum cœli figuras imaginibus imprimere soleant. Sunt enim ibi formæ oculis ualde conspicuæ, & à multis, quales sunt quasi depictæ, ut Aries, Taurus, similésque figuræ zodiaci, & quæ sunt extra zodiacum manifestæ. Sunt ibi præterea formæ quamplurimæ, non tam uisibiles quàm imaginabiles per signorum facies ab Indis & Aegyptijs Chaldæisque perspectæ, uel saltem excogita-

tæ: Velut in prima facie Virginis, uirgo pulchra edens, geminas manu spicas habẽs, puerũq; nutriẽs: Et reliquæ, quales describit Albumasar, cæteriq; nõnulli. Sunt deniq; charecteres quidã signorũ & Planetarũ ab Aegyptijs designati. Volũt igitur imaginibus omnia hæc ĩsculpi. Vt si quis expectet proprium à Mercurio beneficiũ, collocare eum in uirgine debeat, uel saltẽ ibi Lunã cũ aspectu Mercurij: et imaginẽ tũc ex stãno cõficere, uel argento, in qua totum sit Virginis signũ & character eius, characterq; Mercurij: Ac si prima uirginis facie sis usurus addas etiã figurã, quam in prima facie diximus obseruatam. Similiterq; de cæteris. Postremi quidem imaginũ authores, uniuersam earum formam ad coeli similitudinem accepere rotundam. Antiquiores autẽ, quemadmodũ in quodam Arabum collegio legimus, figuram crucis cunctis anteponebant: quia corpora per uirtutẽ agũt ad superficiẽ iam diffusam. Prima uerò superficies cruce describitur, Sic.n. in primis habet lõgitudinem atq; latitudinem: Primaq; hæc figura est, & omnium recta quàm maxime, et quatuor rectos angulos cõtinet. Effectus uerò cœlestiũ maxime p rectitudinẽ radiorũ angulorũq; resultant: Tũc.n. stellæ magnopere sunt potentes, quando quatuor coeli tenent angulos immo cardines, orientis uidelicet occidentisq;, & medij utrinq; coeli: Sic uerò dispositæ, radios ita conijciũt in se inuicem, ut crucem inde constituant. Crucem ergo ueteres figuram esse dicebãt, tum stellarum fortitudine factã, tum earundem fortitudinis susceptaculum, ideóq; habere summam in imaginibus potestatẽ, ac uires, & spiritus suscipere Planetarũ. Hæc autẽ opinio ab Aegyptijs uel inducta est, uel maxime confirmata: Inter quorum chara-

Crucẽ ueteres figuram esse dicebant

cteres crux unus erat insignis, uitam eorũ more futuram significans, eámque figuram pectori Serapidis insculpebant. Ego uerò quod de crucis excellentia fuit apud Aegyptios ante Christum, nõ tam muneris stellarum testimoniũ fuisse arbitror quàm uirtutis præsagium, quam à Christo fuerat acceptura, Astrologos aũt qui statim post Christum fuerunt, uidentes à Christianis miranda per crucem fieri, nescientes autem uel nolentes in Iesum tanta referre, in cœlestia retulisse: quanquàm considerare debebãt per crucem ipsam, absq; nomine Iesu miracula minime perpetrari. Cõuenire quidem imaginibus eam, quia referat fortitudinem Planetarũ omniumq; Stellarum, forsitan est probabile: nõ tamen ob hoc duntaxat ingentem habere potentiam: posse uerò nonnihil unà cũ cæteris, quæ necessaria sunt, coniunctam, ad prosperam forsan corporis ualetudinem. Sed ad narrandas aliorum opiniones, ut cœpimus, reuertamur. Saturni ueteres imaginẽ ad uitæ longitudinem faciebant in lapide de Feyrizech, id est Sapphiro, hora Saturni, ipso ascẽdente atq; feliciter constituto: Forma erat. Homo senex in altiore cathedra sedẽs uel dracone, caput tectus pãno quodam lineo fusco, manus supra caput erigens, falcem manu tenẽs aut pisces, fusca indutus ueste. Ad longam uitam atq; felicem Iouis imaginẽ in lapide claro uel albo: Erat homo sedens super aquilam uel draconem coronatus, hora Iouis, ipso in exaltatione sua feliciter ascendente, croceam induto uestem. Contra timiditatem hora Martis imagines fabricabant prima Scorpionis facie oriente, Martem armatum et coronatum. Ad morbos curandos fingebant Solis imaginem in auro, hora Solis, prima facie Leonis ascendẽte cum Sole, Regem in throno, crocea ueste, & coruũ Solisq; for

Saturni imago.

Imaginum uirtutes atque medicinarum.

mam. Ad lætitiam robúrque corporis, Veneris imaginem puellarem, poma floréſque manu tenentem croceis & albis indutam, hora Veneris, prima facie Libræ, uel Piſciũ, uel Tauri aſcendente cũ Venere. Imaginem Mercurij ad ingenium & memoriam, prima facie Geminorum. Itẽ contra febres ſculpebatur Mercurius, homo tela manu tenẽs, hora Mercurij. ſurgente Mercurio: ſculpebant hac in marmore (ſubinde materiæ cuipiam imprimebant languentibus aſſumendæ: hinc omne genus febrium curari dicebant. Imaginẽ Lunæ aſcendẽte prima facie Cãcri ad augmentũ. Forma Mercurij. Homo ſedens in throno galeratus criſtatúſque, pedibus aquilinis, ſiniſtra gallum tenẽs, aut ignem, alatus, aliquando ſuper pauonem, dextra tenens calamum, ueſte uaria. Luna puella pulchra cornuto capite ſuper draconem uel taurũ, ſerpentes ſupra caput & ſub pedibus habens. Ad curandum calculum, genitaliúmq; dolores, & ad ſanguinem aſtringendum, imaginẽ hora Saturni, ſurgente tertia facie aquarij cum Saturno. Item Leonẽ auro imprimebant, lapidem in formam Solis pedibus reuoluentẽ, hora Solis, primo gradu faciei ſecundæ Leonis oriente: Hanc expellendis morbis profuturã exiſtimabant. Ad renũ morbos ſimilẽ faciebant, quando Sol in corde Leonis coelum mediũ obtineret, à Petro Aponẽſi cõprobatam et experiẽtia confirmatã, ſed hac conditione, ut Iuppiter aut Venus mediũ aſpiciat coelũ. Planetæ uerò noxij cadant, infortunatíq; ſint. Accepi à Mẽgo phyſico præclaro eiuſmodi imaginẽ factã Ioue ibidẽ coniuncto cũ Sole, liberauiſſe Ioannẽ Marlianũ, Mathematicũ noſtro ſeculo ſingularẽ à pauore quo ſub tonitru affici conſueuerat. Præterea ad firmãdam ſanitatẽ & ueneficia deuitanda, imaginem ex argento fin-

gebant hora Veneris, Luna angulos obtinente, ac Venerem feliciter intuẽte, dummodo dominus sextæ domus Venerem aſpiciat, aut Iouem trino quodam intuitu, uel oppoſito. Mercurius aũt non ſit infelix. Agebant hæc hora diei Solis ultima, ita ut dominus horæ decimã teneret cœli plagam. Petrus Aponenſis inquit, medicum per imaginem infirmũ curare poſſe, modò in ea fabricanda obſeruet, ut anguli aſcendentis medij cœli occidẽtis ſint fortunati, & aſcẽdentis dominus, & eadẽ ratione ſecunda, ſed ſexta & dominus eius ſit infelix. Ait etiã ſanitatem fore firmiorem uitámq; longiorem, quàm ab initio fuerit inſtituta, ſi natiuitate perſpecta fiat imago, in qua hæc fortunata ponatur. ſ. illius ſignificator uitæ: Itẽ uitæ datores, tum ſignatum domini, præſertim aſcendens eiúſque dominus. Item cœli medium, locus Solis, pars fortunæ, dominus cõiunctionis uel præuẽtionis ante natiuitatẽ factæ. Mali quinetiã infortuna ti cadant. Concludit aſtrologorũ nullum dubitare, quin ad producendã uitam talia cõferant. Prolixũ foret dictu quas per quælibet ſigna facies antiqui, & quas Lunæ ſtationes tanquã neceſſarias in exprimẽdis imaginibus obſeruabãt. Nã in ſtatione Lunæ à gradu Virginis decimoſeptimo ad finem eius faciebant imagines contra morbos & odia, & ad iter felix. In ſtatione à principio Capricorni ad gradum duodecimum, contra morbos & diſcordias atque captiuitatem. In ſtatione à gradu duodecimo Capricorni ad gradum uigeſimumquintum, aduerſus languorem & carcerẽ. In ſtatione à gradu quarto Piſcium ad gradum eiuſdem decimumſeptimum, ad curandos morbos, ad lucrum, ſocietatem, ad augendas meſſes. Et in alijs ſimiliter alias, uana ſæpius curioſitate machinabãtur. Solas uerò recenſui quæ nõ

tam Magum quàm Medicum redolerent. Nam & medicinam eiusmodi uanam plurimum fore suspicor. Pro alijs autem magis legitimis medicinarum cõfectionibus, eiusmodi mansiones Lunæ arbitror eligendas. Atq; etiam in Ariete gradum sextum, rursus decimumnonum, minuta 26. Item in Geminis gradum decimum, minuta 51. In Cancro gradũ decimumnonum, minuta 26. In Libra gradum sextum, minuta 34. In Capricorno gradum decimumnonum, minuta 26. In Aquario gradũ secundum, minuta 17. In eodẽ gradu decimũ quintum, minuta 8. Præterea sententiam Haly mẽte tenendam: Quodlibet signum quãdiu Sol est in eo, uiuum fieri, cæteris dominari, effectum eius præ cæteris euenire, ut illuc Lunam dirigas ad donum inde proprium pro medicinis suscipiendum. Illuc inquam, id est, ad signum & faciem, & maxime gradum: ut si bona Iouis affectas, ad hæc directam Lunam erigas uel unitam, quandiu locũ eiusmodi Sol illustrat, ubi proprietas Iouia uiget. Similiterq; de cæteris. Curiosũ uerò narratu foret & fortè noxiũ, quas imagines, & quemadmodũ associandos uel dissociandos inter se animos fabricabant, ad afferendam felicitatem, uel inferendam calamitatem, uel uni cuidam, uel domui, uel ciuitati. Ego quidem fieri posse talia non affirmo. Astrologi autẽ fieri posse putant, & quomodo, docent, qualia ego narrare non audeo, Porphyrius ubi uitam Plotini magistri sui describit, talia fieri posse confirmat: atq; Olympium Magum & Astrologum Aegyptium narrat contra Plotinum Romæ talia tẽtauisse, dum conaretur per imagines uel res eiusmodi syderare Plotinum: sed conatus in authorẽ suum ob excelsam Plotini animã fuisse retortos. Albertus quoq; Magnus Astrologiæ pariter atq; Theologiæ ꝓfessor ait in

Quodlibet signũ à Solis communione reddi ualidius.

Speculo, ubi à licitis discernere se inquit illicita, imagines rite ab Astrologis cõstitutas, uirtutẽ effectumq; acquirere à figura cœlesti. Atq; subinde narrat mirabiles earũ effectus, quales Thebith, Benthorad, & Ptolemæus, cæteriq; Astrologi pollicẽtur. Describitq; imagines ad calamitatem alicui, prosperitatẽq; afferendã, quas cõsilio præter mitto. Et interea cõfirmat effectum eas habere posse quãquam & uir bonus artis damnat abusum, & ut legitimus Theologus orationes suffumigationesq; detestatur, quas impij quidã ad dæmones imaginibus fabricãdis adhibuerunt. Neq; tamen reprobat figuras & literas dictionesq; imaginibus impressas ad hoc ipsum duntaxat, ut donũ aliquod accipiant à figura cœlesti. Quod quidẽ posse ꝑ imagines cõparari, Petrus Aponensis cõfirmauit. Immo & affirmauit regionem nescio quam fuisse destructã per imaginẽ illam, quam Thebith narrat à Phedice astrologo fabricatam. Thomas aũt Aquinas dux in Theologia noster magis ista formidat, & minus tribuit imaginibus tãtũ nãque uirtutis duntaxat ꝑ figuras cœlitus putat acquirere, quantũ cõducat ad illos effectus, quos solet cõiter cœlũ ꝑ herbas resq; alias naturales efficere: Nõ tã quia figura talis sit in ea materia, q̃ quoniã cõpositum tale iam positum est in certa quadã artificij specie, qualis cũ cœlo cõsentiat. Hæc ait in libro cõtra Gẽtiles tertio, ubi characteres et literas figuris additas ridet: Figuras uerò nõ adeò, nisi pro signis quibusdã ad dæmones adiungantur. In libro etiã de fato ait, constellationes dare ordinẽ essendi atq; perdurandi, nõ solum rebus naturalibus, sed etiam artificiosis, ideò imagines sub certis constellationibus fabricari. At siquid mirabile per eas ultra cõsuetos naturalium effectus nobis

eueniat, in dæmonas reijcit hominum seductores, quod in libro contra Gentiles perspicue patet, maxime uerò in libello De occultis naturæ operibus, ubi uidetur ipsas etiã imagines parui pendere, quomodocunq; factas: quas & ego quatenus ipse iusserit, nihilipendam. Referre autẽ mirãbiles quosdam effectus imaginum in dæmonum falsitatem, nec est à Platonicis alienum. Nam & Iamblichus ait eos qui religione summa sanctimoniáq; posthabita, imaginibus dum txat confisi, ab eis diuina sperant munera, hac in re à malis dæmonibus sæpissime falli, sub prætextu bonorum numinum occurrentibus. Cõtingere tamen ex imaginibus legitima Astrologiæ ratione constructis, naturalia quædam bona, non negat. Deniq; tutius fore arbitror medicinis quàm imaginibus se cõmittere, rationesq; à nobis de potestate cœlesti, pro imaginibus assignatas, in medicinis potius quàm in figuris efficaciã habere posse. Probabile. n. est siquam uim imagines habent, hanc nõ tam p figurã nuper acquirere, quã p materiã possidere naturaliter sic affectã. Ac siquid denuò acquiritur dũ insculpitur, nõ tam per figuram comparari quàm per calefactionem cõtusione quadam prouenientem. Quæ quidẽ cõtusio calefactioq; facta sub harmonia, cœlesti simili harmoniæ, quæ quondã materiæ uirtutem infuderat, excitat uirtutem ipsam atq; corroborat sicut flatus flãmam: & manifestam efficit ante latentem, sicut calor ignis in aspectũ producit literas scriptas, succo cepæ prius delitescentes. Atq; literæ hirci adipe inscriptæ lapidi, prsus occultæ, si lapis submergatur aceto, prodeũt, & quasi sculptæ eminẽtes extãt. Immo uerò sicut tactus scopæ uel arbuti suscitat rabiẽ cõsopitã, sic fortè cõtusio quædã et calefactio sola latẽtẽ in ma

Cepæ succo scriptas literas delitescentes ignis prodit

teria uirtutē prodit, facta uidelicet opportune. Qua qdē cœlesti opportunitate expedit in medicinis cōficiēdis uti. Aut siquis fortè tractare metalla lapidesq; uol uerit, præstat ꝑcutere solū atq; calefacere, quā figurare. Præter.n. id qd' inanes eē figuras suspicor, haud temerè uel umbrā idololatriæ debemus admittere. Itē nec temerè uti stellis uel salutaribus, ad morbos his simillimos expellendos: Hos.n. sæpe augēt: sicut noxię stellę dißimiles sibi morbos aliqñ minuūt: qd' sanè Ptolemæus et Haly ꝑspicue docēt.

De fabricanda Vniuersi figura. Cap. 19.

SEd cur nam uniuersalem ipsam, id est, uniuersi ipsius imaginem prætermittimus? Ex qua tamen beneficium ab uniuerso sperare uidentur. Sculpet ergo sectator illorum fortè qui poterit formam quandam mundi totius archetypam si placebit in ære: Quā deinde opportune in argenti lamina imprimat aurata. Sed quando potissimum imprimet? Quando Sol minutum primum Arietis attigerit. Hinc.n. Astrologi tanquàm ex sui natalis reuolutione, fortunam mundi eo saltem anno imminentē auspicantur. Ille igitur in hoc ipso mūdi natali totius imprimet mundi figuram. At uidés ne quàm belle inter disserendum mundi aliquando nati nobis succurrerit argumentū? siquidem quolibet anno renascitur. Nónne in ipsa hominis genesi metiuntur Astrologi: primū in quo signo gradu, quo minuto Sol extiterit? Ibiq; totius figuræ iaciunt fundamētum. Et quolibet deinceps anno, cum primum Sol minutū subierit idē, quasi renatum hominē arbitrantur, atq; inde præsagiunt anni fortunam. Sicut igitur id in homine facere non ualerent, nisi quasi renasceretur: atq; hic nō posset quasi renasci, nisi fuisset aliquando natus: sic & mundum

Astrologi à primo solis in arietem ingressu, āni qualitatē præsagiunt

ATENEO VENETO VENEZIA

conijcere licet aliquando genitum, Sole uidelicet ſub minuto Arietis primo tunc poſito, quandoquidem per eundem quolibet anno ſitum, ſors quædam quaſi renaſcentis mundi reuoluitur. Tunc igitur ille fabricabit mundi figuram. Cauebit autem ne ſabbato Saturni die figurã ſculpat aut exprimat. Hoc.n. die Deus mundi faber ab opere traditur quieuiſſe, quod ab ideali die Solis inceperat. Quantum.n. Sol generationi accõmodatus eſt, tãtum Saturnus ineptus. Perfecerat autẽ opus in Venere, pulchritudinem operis abſolutam ſignificante. Sed de mũdanæ fabricæ rationibus nihil ultra. Ioannes.n. Picus noſter Mirandula diuina de Geneſi mundi myſteria Moſeos diuinitus his diebus expreßit. Quamobrẽ ut redeamus ad inſtitutum, &

Mũdi tres colores

ille mundũ ſuũ primũ die uel hora Saturni nõ ſculpet, ſed die potius uel hora Solis. Imprimet autem in anni natali, præſertim ſi tũc feliees accedãt Iuppiter atq; Diana. Optimũ uerò fore putabũt præter lineamẽta opificio colores inſerere. Sũt uerò tres uniuerſales ſimul et ſingulares mũdi colores: uiridis, aureus, ſapphirinus, tribus cœli gratijs dedicati: Viridis quidem Veneri ſimulatq; Lunæ, humidus uidelicet humidis atq; naſcẽtiũ, pprius, accõmodatus & matribus. Aureũ Solis eſſe colorẽ nemo dubitat, et ab Ioue inſuper atq; Venere nõ alienum. Sapphirinũ deniq; Ioui maxime dedicamus, cui et Sapphirus ipſe dicitur cõſecratus. Vnde et lapis lazulus hoc colore dotatus ob uirtutem Iouiam contra bilẽ atram à Saturno profectã, apud Medicos prærogatiuam habet, naſciturq; cũ auro, aureis diſtinctus notis, ita comes auri, ſicut Solis eſt Iuppiter. Similẽq;, uim habet lapis Armenus, colorem ſimilem cũ uiridi quodãmodo poſsidẽs. Expedire igitur iudicabũt ad

gratiarum cœlestium munera capessenda treis potissimum hos colores frequentissime contueri, atq; in formula mundi quam fabricas, sapphirinum colorem mundi sphæris inserere. Operæpretium fore putabũt aurea sphæris ad ipsam cœli similitudinem addere sydera, atq; ipsam Vestam, siue Cererem, id est terram, uiridem induere uestem. Eiusmodi formulam spectator illorum uel ipse gestabit, uel oppositam intuebitur. Vtile uerò ferè spectare sphæram motibus suis præditam, qualem Archimedes quondã, & nuper Florentinus quidam noster, Laurentius nomine, fabricauit. Neq; spectare solum, sed etiam animo reputare. Proinde in ipsis suæ domus penetralibus cubiculum construet in fornicem actum, figuris eiusmodi & coloribus insignitum, ubi plurimum uigilet atq; dormiat. Et egressus domo non tanta attentione singularum rerum spectacula, quanta uniuersi figuram colores q; perspiciet. Sed hæc imaginum fictores illi uiderint. Tu uerò præstantiorem in te finges imaginem: nempè cum noueris nec quicquam ordinatius esse quã cœlum, neq; temperatius aliquid cogitari quàm Iuppiter, spe rabis ita demum beneficia cœli Iouis q; consequi, si cogitationibus, affectibus, actionibus, uictu teipsum ordinatissimum temperatissimum q; præstiteris. At postquam in mentionem temperaturæ cœlestis incidimus, opportunum for Cœlũ omtè fuerit recordari, nullũ inesse cœlo elementaris qualitatis nis excesexcessum, ut Peripatetice loquar: alioquin siue ita cõpositũ sus qualitasit, iam esset tot seculis dissolutum: siue etiam simplex, tãta tũ expers. saltem magnitudine, potentia motione cætera perdidisset. Sed profecto tanquàm moderatiss. omnia moderatur, ac diuersa cõmiscet in unũ. Præterea tũ hac ipsa tẽperantia sua, tum excellentia formæ diuinitus uitam meruit. Nã & res

compositas tunc demum uitam adipisci uidemus, quando qualitatum perfecta commistio priorem iam contrarietatẽ fregisse uidetur, ut in plantis. Perfectiorem deinceps in animalibus uitam, quatenus inest eis complexio à contrarietate remotior, quàm in plantis. In hominibus rursum eadem ratione perfectiorem, & quodammodo iam cœlestem. Siquidem humana complexio ad cœlestem temperantiã iam accessit, præsertim in spiritu, qui ultra substantiæ suæ subtilitatem qualitatũ usque temperantiam, quibus cũ cœlo cõsentit, cœlestem quoq; lucẽ est adeptus. Hic insuper ubi maxime talis est, potissimũ est cœlestis, uitámq; cœlestem diuinitus præ cæteris est adeptus. Et quatenus se talem in omni uictu legeq; uitæ efficit atque seruat, eatenus singularia cœlestium dona reportat. Quando uerò dicimus non esse in cœlo ullum elemẽtaris qualitatis excessum, intelligimus uel nullam esse ibi eiusmodi qualitatem, sed uirtutes potius effectrices qualitatum temperatas: uel siquæ sunt illic quodammodo similes qualitates, quasi aeriam habere temperiem. Atq; ubi quædam illic frigida siccáque nominamus, Platonica hæc accipimus ratione, id est, ut frigidum appelletur quod minimi caloris est causa. Siccum uerò quod humorem nobis exhibet minimum. Sic astrologus Abrahã, Saturnum inquit corpus nostrum quodammodo relinquere frigidum, atque siccum, quia calorem & humorem affert nostro minorem. Eadem ratione carnes bouis & leporis in se quidem calidæ atque humidæ, nobis frigidæ sunt & siccæ. Ex hac autem inductione duo hæc accipe corollaria: Primum quidem, si corpora magis deinceps temperata, magis uiuunt, cœlum maxime tẽperatam quàm maxime uiuere. Imò uerò uicissim, ex eo quod cœlũ exactissime

temperatum absolutißimam in se uitam poßidet, coniectari, ut quatenus reliqua ad temperiem uitámque illius accedunt, eatenus uitam sortiri præstantiorem. Alterũ uerò, uitam esse formam in se perfectã, perficientémq; corpus, motionísq; principium exhibentẽ. Principiũ inquam intimũ, motionis quoq; tũ intrinsecus actæ, tum per omnem partẽ extrinsecus expeditæ. Si igitur idipsum uita est, mente captum existimato qui eiusmodi formã nõ cognouerit inesse cœlo, corpore præstantiß. circũeunte semper motione perfecta, cuncta uiuificãte, magísque illa gradatim, quæ uel ad ipsius similitudinem naturaliter propinquius accesserunt, uel quotidie huius influxibus aptius se exponunt.

Quantam imagines uim habere putentur in spiritum, & spiritus in eas. Et de affectu utentis & operantis.

Cap. 20.

COmpertum habemus, siquis ritè utatur helleboro, frátq; potẽter, mutare quodãmodo exquisita purgatione & occulta eius proprietate qualitatẽ spũs corporísque naturam, & ex parte motus animi, & quasi reiuueneſcere, ut fermè uideatur esse renatus. Vnde Medeã Magósque tradunt herbis quibusdam reddere iuuentutem consueuisse, quam non tam reddunt myrobalani quàm conseruant. Similẽ Astrologi potestatẽ propitias habere imagines arbitrantur, per quam gestantis naturam & mores quodammodo mutent, in meliúsque restituant, ut quasi iam alter euaserit, aut saltem prosperam ualetudinem diutißime seruent. Imagines uerò noxias aduersus gestantem habere uim hellebori, præter artem potentiamque assumpti, uenenosam uidelicet atque pestiferam. Aduersus

Imagines quãtã uim habere putentur ĩ spiritũ, & spiritus ĩ eas.

Helleborus purgat occulta proprietate.

autem alium quendam, ad cuius calamitatem fabricatæ intentæq; fuerint, uim ænei speculi cõcauiq; sic prorsus obiecti, ut collectis repercussisq; in oppositum radijs, cominus quidem comburat, eminus autem caligare compellat. Hinc orta est historia uel opinio, putans Astrologorũ machinis, magorumq; ueneficijs, homines, bruta, plantas, syderari atque tabescere posse. Ego autem imagines in rẽ distantem, uim habere ullam non satis intelligo. Habere uerò in gestantem nonnullam suspicor, non tamen talem opinor qualẽ pleriq; fingunt, & hanc ratione materiæ potius quã figuræ: atq;, ut dixi, lõgo interuallo medicinas imaginibus antepono. Quanquàm Arabes & Aegyptij tãtum statuis imaginibusq; attribuunt arte astronomica et magica fabricatis, ut spiritus Stellarum in eis includi putent. Spiritus autem Stellarum intelligunt, alij quidem mirabiles coelestium uires, alij uerò dæmonas etiam Stellæ huius illiúsue pedissequos. Spiritus igitur Stellarum qualescunq; sint, inseri statuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac dæmones soleant humana nonnunquàm corpora occupare, pérque illa loqui, moueri, mouere, mirabilia perpetrare. Similia quædam per imagines facere Stellarum spiritus arbitrantur. Putant dæmonas mundani ignis habitatores per igneos humores uel ignitos, similitérque per ignotos spiritus & affectus eiusmodi nostris insinuari corporibus. Similiter Stellarum spiritus per radios opportune susceptos suffumigationésque & lumina, tonósque uehementes competentibus imaginum materijs inseri, mirabiliáque in gestantem uel propinquantem efficere posse. Quæ quidem nos per dæmonas fieri posse putamus, non tam materia certa cohibitos, quàm cultu gaudentes. Sed hæc alibi dili-

gentius. Traduntur Arabes ſpiritum noſtrum quãdo rite fabricamus imagines, ſi p imaginationẽ et affectũ ad opus attentiſſimus fuerit, & ad ſtellas coniungi cum ipſo mũdi ſpiritu atq; cum ſtellarum radijs, per quos mundi ſpiritus agit, atq; ita cõiunctum eſſe ipſum quoq; in cauſa, ut à ſpiritu mundi per radios quidam ſtellæ alicuius ſpiritus. i. uis uida quædam uirtus infundatur imagini, potiſſimum hominis tunc operantis ſpiritui cõſentanea. Adiuuari quoq; ſuffumigationibus ad ſtellas accõmodatis opus eiuſmodi, quatenus ſuffumigationes tales aerem radios, ſpiritũ fabri, imaginis materiam ſic prorſus afficiũt. Ego uerò odores quidem tanquam ſpiritui aeriq; natura perſimiles, et cum accenſi ſunt, ſtellarum quoq; radijs conſentaneos arbitror: ſi Solares uel Iouij ſunt, afficere aerẽ ac ſpiritũ uehementer ad dotes Solis aut Iouis tunc dominãtis oportune ſub radijs capiendas, atq; ſpiritũ ſic affectum, ita donatum, poſſe uehementiore quodam affectu, non ſolum in proprium corpus agere, ſed propinquum præſertim naturã cõforme quidem, ſed debilius, et conſimili quadam affi cere qualitate. Materiam uerò imaginis duriorem ab odoribus & operantis imaginatione, uix minimũ quiddã ſuſcipere poſſe puto: ſpiritum tamen ipſum ab odore ſic affici, ut ex ambobus unũ conficiatur. Quod quidẽ ex eo patet, quòd odor non agit alterius in olfactum, poſtquam satis egit. Olfactus. n. & quoduis aliud à ſeipſo uel ſimillimo quopiam nihil patitur. Sed de his alibi. Proinde imaginationis intẽtionẽ, non tam in fabricandis imaginibus, uel medicinis uim habere, quã in applicãdis & aſſumẽdis exiſtimo: ut ſiquis imaginem (ut aiunt) geſtans rite factã, uel certe medicina ſimiliter utẽs, opẽ ab ea uehemẽter affẽ

Fidem imaginationis conferre

ctet, & proculdubio credat, sperétque firmißime, hinc certè quamplurimus sit adiumento cumulus accessurus. Nam ubi uel uirtus imaginis siqua est, tangentis carnem penetrat calefacta, saltem uirtus in electa eius materia naturalis, uel certè medicinæ uigor intus assumptæ, uenis ac medullis illabitur, Iouiam secum ferens proprietatem, spiritus hominis in spiritum eiusmodi Iouium affectu, id est, amore transfertur. Vis enim amoris est transferre. Fides autem spésque non dubia, spiritum hominis iam ita percitum sistit in spiritu Iouio penitus, atque firmat. Quòd si, quemadmodum Hippocrates & Galenus docent, ægrotantis amor fidésque erga Medicum inferiorem exterioremq; ad sanitatem plurimum conferunt, (immo uerò fiduciam hanc Auicenna plus inquit efficere quã medicinam) quantum ad cœlestem opem conducere putandum est, affectum fidémque nobis erga cœlestem influxum iam nobis insitum, agentem intus, uiscera penetrantem? Iam uerò amor ipse fidésque erga cœleste donum, sæpe cœlestis adminiculi causa est, atque uicißim amor & fides hinc aliquando forsan proficiscitur, quod ad hoc ipsum iam nobis faueat clementia cœli.

Fides mirificam habet potentiam 2. Canone

De uirtute uerborum atque cantus ad beneficium cœleste captandum: Ac de septem gradibus perducentibus ad cœlestia. Cap. 21.

VErba præterea quædam acriore quodam affectu pronunciata, uim circa imagines magnam habere censent ad affectum earum illuc propriè dirigendum, quorsum affectus intenduntur & uerba. Itaque ad duos ardentißimo quodam amore conciliandos, imaginem sub Luna coeunte cum Venere in Piscibus uel

Tauro

Tauro fabricabant, multis interim circa ſtellas uerbaq; curioſius obſeruatis, quæ referre non eſt conſilium. Non.n. philtra docemus, ſed medicinas. Probabilius autē eſt effectus eiuſmodi uel per Venereos dæmonas cōfici, his operibus uerbisq; gaudentes, uel per dæmonas ſimpliciter ſe ductores. Nam & Apolloniū Theanæū ſæpe Lamias deprehēdiſſe & prodidiſſe ferunt, dæmonas. ſ. quoſdā ſalaces Venereosq;, qui formoſas puellas ſimulēt, pelliciántq; formoſos, quos ut ſerpens elephātem ore, ſic illi illos ore uulua pariter exugant, ac prorſus exhauriant. Sed hæc Apollonius ipſe uiderit. In uerbis autē certis uim eſſe certā atq; magnā, Origenes aſſerit cōtra Celſum, et Syneſius atq; Alchindus de Magis diſputātes. Itē Zoroaſter uetās barbara uerba mutare, Iāblichus quoq; ſimiliter. Item Pythagorici uerbis & cantibus atq; ſonis mirabilia quædā Phœbi et Orphei more, facere cōſueti. Quod Hebræorū antiqui doctores præ cæteris obſeruarunt, omnésq; Poetæ miranda canunt carminibus effici. Et grauiſſimus ille Cato in Re ruſtica in curandis beſtiarū morbis, aliquando barbaris cantionibus utitur. Sed præſtat dimittere cantiones. Concentum uerò illū, quo adoleſcens Dauid Saulem ab inſania redimebat, niſi myſteriū iuſſerit ad diuinitatē referri, referet forte aliquis ad naturam. Cum uerò pro ſeptem Planetarum numero, ſeptem quoq; ſint gradus, per quos à ſupioribus ad inferiora fit attractus, uoces mediū gradum obtinent, & Apollini dedicantur. Infimum quidem tenent gradum materiæ duriores, lapides atq; metalla, ac Lunam referre uidentur. Secundum in aſcenſu locū habent, quæ ex herbis, arborum fructibus, gummis, membris animalium, componuntur, reſpondéntq; Mercurio,

Verbis atque cantibus uires ineſſe

Cantus & uerba magnam uim ad beneficium cœleſte captandum habere

si ordinē in cœlo sequimur Chaldæorum. Tertium pulueres subtilissimi, eorumq; uapores ex prædictis electi, odoresque simpliciter herbarum et florum unguētorū ad Venerem pertinētes. Quartū uerba, cantus, soni, quæ omnia rite dedicantur Apollini, Musicæ præ cæteris authori. Quintū uehemētes imaginationis conceptus, formæ motus, affectus, uim Martiā referētes. Sextū rationis humanæ discursiones deliberationésq; consultæ pertinentes ad Iouem. Septimum secretiores simpliciorésq; intelligentiæ quasi iam à motu seiunctæ, coniunctæ diuinis, destinatæ Saturno. Quē meritò Sabath Hebræi nomine quietis appellant. Quorsum hæc? ut intelligas, quēadmodum ex certa herbarum uaporūque cōpositione confecta per artem tum medicam, tum astronomicam, resultat cōmunis quædam forma uelut harmonia quædam syderū dotata muneribus: Sic ex tonis primo quidem ad stellarū normam electis, deinde ad earundem congruitatem inter se cōpositis, cōem quasi formam fieri atq; in ea cœlestem aliquā subori uirtutem. Difficillimum quidem est iudicatu, quales potissimum toni, qualibus conueniant stellis, quales item tonorū cōpositiones, qualibus præcipuè syderibus aspectibúsque consentiant. Sed partim diligentia nostra, partim diuina quadam sorte nō aliter id assequi possumus, quàm Andromachus in theriaca cōponēda diutissime fatigatus, ac tandē post diligentiā, diuina sorte consecutus theriacæ uirtutē. Quod quidē cōtigisse diuinitus Galenus & Auicenna cōfirmant. Immo uerò totam medicinam exordium à uaticinijs habuisse, testis est Iāblichus atque Apollonius Theanæus. Ideoq; Phœbū uatē medicinæ præponūt. Tres uerò potissimū regulas adhoc afferemus, si prius admo-

Medicinæ exordium

tuerimus, ne putes nos in pũtia de Stellis adorãdis loqui, sed potius imitandis, & imitatione captandis. Neque rursum de donis agere credas, quæ Stellæ sint electione daturæ. sed influxu potius naturali. Ad quem profecto multiplicem & occultum, ita nos exquisitis studemus modis accõdare, sicut quotidie ad manifestum Solis lumẽ calorémque salubriter excipiendum nosipsos accommodamus. Aptare uerò seipsum ad occultas dotes eius atque mirificas, solius sapientis est officium. Sed iam ad regulas cãtum syderibus accõmodaturas perueniamus. Prima est, exquirere quas in se uires quóue ex se effectus Stella quælibet & sydus & aspectus habeant, quæ auferant, quæ ferant. Atque uerborum nostrorũ significationibus hæc inserere: detestari quæ auferunt, probare quæ ferunt. Secũda, cõsiderare quæ Stella cui loco maxime uel homini dominetur. Deinde obserua re qualibus cõmuniter hæ regiones & personæ tonis utantur & cantibus, ut ipse similes quosdam unà cum significationibus modo dictis adhibeas uerbis, quæ syderibus eisdẽ studes exponere. Tertia, situs aspectúsque Stellarum quotidianos animaduertere, atque sub his explorare, ad quales potißimum sermones, cantus, motus, saltus, mores, actus incitari homines plerique soleant, ut talia quædam tu proiuiribus imiteris in cantibus, coelo cuidam simili placituris, similémque susceпturis influxum. Memento uerò cantum esse imitatorem omnium potentißimum. Hic enim intentiones affectionésque animi imitatur & uerba, refert quoque gestus motúsque corporis & actus hominum atque mores: tánque uehementer omnia imitatur & agit, ut ad eadem imitanda uel agenda, tum cantantem, tum audientes subito prouocet. Eadẽ quoque uirtute quando coelestia Cantum afficere.

imitatur, hinc quidem spiritum nostrum ad coelestem influxum, inde uerò influxum ad spiritum mirifice prouocat. Iã uerò materia ipsa concentus purior est admodũ, coelóque similior, quàm materia medicinæ. Est.n. aer etiam hic quidem calens siue tepens, spirans adhuc, & quodammodo uiuens, suis quibusdam articulis, artibúsq; compositus, sicut animal: nec solum motum ferens, affectúmq; præferens, uerumetiam significatum afferens quasi mentem, ut animal quoddam aerium & rationale quodãmodo dici possit. Cõcentus igitur spiritu sensúque plenus, si fortè tum secũdum eius significata, tum secũdum eius articulos atque formam ex articulis resultantem, tum etiam secundum imaginationis affectum huic syderi respondeat, aut illi, non minorem inde uirtutem quàm quælibet alia cõpositio traijcit incantantem, atque ex hoc in proximũ auditorẽ, quousque cantus uigorem seruat spiritúmque canentis, præsertim si cantor ipse sit natura phoebeus, uehemẽtémque habeat uitalẽ cordis spiritum atque insuper animalem. Sicut.n. uirtus ac spiritus naturalis ubi potentiß. est mollit statim, liquefacítque alimenta duriß. atque ex austeris mox dulcia reddit, generat quoque extra se seminalis spiritus productione propaginem: sic uitalis animalisque uirtus ubi efficaciß. fuerit, ibi intentißima quadam sui spiritus per cantum, tum conceptione agitationéque in corpus proprium potenter agit, tum effusione mouet subinde propinquũ, afficitq; cũ suum tũ alienum syderea quadam proprietate, quam tum ex ipsa sui forma, tum ex electa temporis opportunitate concepit. Hac utique ratione orientales meridionalésque multi, præcipue Indi, admirandã fruntur in uerbis habere potentiã utpote qui magna ex parte Solares sunt. Vimque non na-

turalem dico, sed uitalem & quicunque in regionibus alijs maxime sunt Phœbei. Cãtus autem hac uirtute, opportunitate, intentione conceptus, fermè nihil aliud est quàm spiritus alter nuper penes spiritum tuum in te conceptus, factusq; Solaris, & agens tum in te, tum in proximum potestate Solari. Si. n. uapor & spiritus quidam aliquando per radios oculorum, uel aliter fòras emissus, fascinare, inficere, aliterq; afficere proximum potest, multo magis id ualet spiritus ab imaginatione cordeq; simul uberior profluens & feruẽtior, motuq; ualentior, ut non oĩno mirũ sit, morbos quosdam animi atq; corporis sic auferri posse aliquando, uel inferri præsertim, quoniam spiritus eiusmodi Musicus propriè tãgit, agitq; in spiritum inter corpus animãq; medium, & utrunq; affectione sua prorsus afficientẽ. Mirabilem uerò in concitato canentéq; spiritu uim esse concedes, si Pythagoricis Platonicisq; cõcesseris, coelum esse spiritum motibus toniſque suis omnia disponentẽ. Memento uerò totam procedere Musicam ab Apolline. Atq; eatenus Iouẽ esse musicum, quatenus est cũ Apolline concors. Venerẽ insuper & Mercurium Musicam uicinitate Apollinis reportare. Item ad hoc quatuor duntaxat attinere concentus: tres uerò reliquos uoces quidẽ habere, non cantus: Iam uerò uoces tardas, graues, raucas, querulas, Saturno tribuimus. Marti uerò cõtrarias, ueloces, acutásq; & asperas, et minaces, Medias uerò Lunæ. Cõcentus aũt Ioui quidẽ graues & intentos dulcésque & cum constantia lætos. Contrà Veneri cum lasciuia & mollitie uoluptuosos cantus adscribimus. Inter hos uerò medios Soli tribuimus & Mercurio. Si unà cum gratia suauitatéq; sunt uenerabiles & simplices & intenti, Apollinei iudicãtur. Si unà cũ iu-

cunditate, remißiores quodãmodo ſunt, ſtrenui tamen atq; multiplices, Mercuriales exiſtunt. Tu igitur horum quatuor unumquenque cantibus tibi ſuis conciliabis, præſertim ſi competentes cantibus ſonos adhibeas, adeò ut cum eorum more opportune canendo & ſonando clamaueris, reſponſuri protinus uideantur, uel inſtar Echo, uel ſicut corda quædam in cithara tremens, quoties uibratur altera, tẽperata ſimiliter. Atq; ut uult Plotinus et Iamblichus, ita naturaliter id tibi continget è cœlo, quemadmodum uel ex cithara reboatus ſiue tremor, uel ex oppoſito pariete fit Echo. Profectò quoties ex frequenti quodã uſu, harmoniæ Iouiæ, uel Mercuriales, uel Venereæ, factæ uidelicet his regnãtibus, ſpiritus tuus ad hoc ipſum attentiſſimę canens, harmoniæq; confirmatus euadit Iouius, uel Mercurialis, uel Venereus. Interea phœbeus euadit, ſiquidẽ Phœbi ipſius Muſicæ ducis uirtus in omni conſonantia uiget. Atque uiciſſim ex cantu ſonóque phœbeo ipſe phœbeus euadens, uirtutem Iouis interim tibi uendicas & Veneris atque Mercurij. Rurſusq; ex ſpiritu ſic intus affecto, ſimili ter afficis animam atque corpus. Memẽto uerò orationem apte & opportune compoſitam, & affectu ſenſuq; plenã atque uehementem, ſimilem cantibus uim habere. Quantam in orando potentiam Damis & Philoſtratus habere ſacerdotes quoſdã Indos narrent, referre non expedit: nec etiam quibus uerbis Apollonium euocaſſe manes Achillis affirmẽt. Non. n. loquimur nunc de numinibus adorandis, ſed de naturali quadam poteſtate ſermonis, & cãtus atque uerborum. Eſſe uerò phœbeam medicámque in ſono, et eo quidẽ certo potentiã ex eo patet, quod qui in Apulia tacti Phalangio ſunt, ſtupẽt oẽs ſemianimésque iacẽt, donec cer-

Oratio qualis eſſe debeat.

tum quisq; suum q; sonum audiat. Tũc enim saltat ad sonũ apte, sudat inde atq; conualescit. Ac si post annos decem similẽ audiuerit sonũ, subitò cõcitatur ad saltum. Sonum uerò illum ex indicijs esse phœbeum Iouialemq; conijcio.

Quomodo septem modis nos cœlestibus accommodare possimus. Et quibus Saturnus sit maleficus, quibus propitius. Quos Iuppiter à Saturno defendat. Quomodo cœlum agat in spiritum & corpus & animam. Cap. 22.

QVoniam uerò cœlum est harmonica ratione cõpositum, moueturq; harmonice, et harmonicis motibus atq; sonis efficit omnia, meritò p harmoniam solam non solum homines, sed inferiora hæc omnia pro uiribus ad capienda cœlestia præparãtur. Harmoniam uerò capacem superiorum per septem rerũ gradus in superioribus distribuimus: Per imagines uidelicet (ut putant) harmonice constitutas: Per medicinas sua quadam consonantia temperatas: Per uapores odorésq; simili cõcinnitate cõfectos: Per cantus musicos atq; sonos. Ad quorum ordinem uimq; referri gestus corporis saltúsq;, & tripudia uolumus: per imaginationis conceptus, motúsq; concinnos: per congruas rationis discursiones: per tranquillas mentis contemplationes. Sicut enim corpus per harmoniam quotidie suam, id est, per situm & habitum & figuram opportune lumini caloriq; Solis exponimus: sic & spiritum occultis stellarum uiribus comparandis, per suam quãdã similem harmoniam, imaginibus, ut opinantur, & certe medicinis, odoribus harmonice compositis comparatam, & denique per spiritum superis ita paratum (ut sæpe iam diximus) animam eisdem exponi-

Cœlestibus nos se ptem modis accommodare possimus

mus atq; corpus. Animam inquã, quatenus affectu ad spiritũ inclinatur & corpus. In anima uerò nunc imaginationem, rationem, mentem ponimus. Potest utiq; imaginatio nostra uel propter qualitatẽ motúmq; spiritus, uel per electionem nostram, uel etiam utrinq; ita disponi, cõponi, cõformari Marti Soliue, ut sit euestigio ppriũ ĩfluxus Phœbei uel Martij susceptaculum. Similiter ratio, uel per imaginationem spiritúmq; simul, uel per deliberationem, uel utrinq;, sic ad Iouem imitatione quadam cõparare se potest, ut multo magis ob dignitatem propinquitatémq; suã ipsa Iouem capiat, & munera Iouis, quàm imaginatio siue spiritus: quemadmodum imaginatio spiritúsq;, eadem ratione multo magis cœlestia capiũt, quàm res & materiæ quæuis inferiores. Mens deniq; contemplatrix, quatenus seipsam non solum ab his quæ sentimus, uerumetiam ab eis quæ imaginamur cõiter moribusq; argumentamur humanis, seuocãt, & affectu, intẽtione, uita ad separata se reuocat, Saturno quodãmodo se exponit. Huic soli propitius est Saturnus. Sicut. n. sol animalibus quidẽ nocturnis inimicus est, diurnis autem est amicus: ita Saturnus homi-

Saturnus quibus amicus

nibus uel uulgarẽ palàm uitam agentibus, uel fugientibus quidem uulgi cõsuetudinem. Vulgares tamen affectus nõ dimittentibus est aduersus. Vitam nanq; cõem cõcessit Iui, separatã uerò sibi uendicauit atq; diuinã. Mentibus autem hominum re uera hinc pro uiribus segregatis tanquã sibi cognatis quodammodo est amicus. Nam et spiritibus sublimem habitantibus aerem ipse Saturnus (ut Platonice loquar) est pro Ioue, sicut Iuppiter hominibus cõem agẽtibus uitam, est iuuans pater. Nullis uerò Saturnus est infensior, quàm hominibus contemplatiuam uitam simulan

tibus quidem, nec agen ibus. Hos.n. nec Saturnus agnoscit ut suos, nec Iuppiter ipse Saturni temperies, adiuuat eos, qui cões hominũ leges morésq; et cõmercia fugunt. Hæc.n. sibi Iuppiter usurpauit (ut aiunt) ligato Saturno, segregata Saturnus. Quamobrẽ Lunares illi populi, quos Socrates in Phœdone describit, eminentissimam terræ superficiem, et altiorem nubibus habitantes, uiuentes sobrij admodũ, frugibúsq; contenti, & secretioris sapientiæ studio religioniq; dediti, Saturni felicitatem gustant, uitámq; agunt ita prosperam, tam longæuam, ut nõ tam mortales homines, quàm ĩmortales dæmones, habeantur: quos heroes nominant aureúmq; genus Saturnio quodam seculo regnóq; gaudens. Quod fortsan astrologos Arabes uoluisse puto, ubi aiunt ultra lineam æquinoctialem ad meridiẽ esse subtilissimos habitatores quosdã dæmõas, qui nec oriri uideantur neq; mori, ibiq; potestatẽ habere Saturnum, caudámq; Draconis. Quod sanè cõfirmare uidetur Albumasar in libro Sadar, dicẽs quasdã Indiæ regiones Saturno subiectas esse, ibiq; homines esse ualde longæuos, ac senio plurimũ extremo decedere. Rationẽq; assignat, quoniã Saturnus nõ lædat domesticos, sed externos. Tu uerò potestatem Saturni ne negligas. Hũc.n. ferunt Arabes omnium potentissimum, planetas sanè uires eorum subire ad quos accedunt: omnes uerò ad eum accedere potius quàm uicissim, Planetásq; coniunctos illi, natura illius agere. Est enim ipse inter Planetas orbis amplissimi caput. Quilibet sanè Planeta sui orbis caput est & cor & oculus. Saturnus itẽ stellis proximus est innumeris, primóq; mobili quàm simillimus, longum agit circuitũ. Est altissimus Planetarum: unde felicem eum uocãt, cui ille feliciter aspira-

Lunares populi

Indiæ habitatores lõgæuos esse

India Saturno subiecta

uerit. Et quanuis eum tanquam à cõmuni uita hominum alienum pleruncq; maxime uereantur, placari tamẽ etiam cõmuni uitæ putant, siquando plurimam in ascendente potestatem dignitatemq; habuerit, aut Iuppiter eum suus feliciter aspexerit, uel in suis finibus excellẽter acceperit, alioquin influxus illius importune susceptus, in materia præsertim crassa fit quasi uenenum, sicut & ouũ putrefactione uel aduſtione fit uenenosum, unde nascuntur uel euadũt immundi quidam, ignaui, tristes, inuidi, dæmonibus ĩmundis expositi, quorum cõmercium procul effugito. Nam Saturni uenenum alibi quidem sopitum latet, ceu sulphur à flamma remotum. In uiuentibus uerò corporibus sæpe flagrat, atq; ut sulphur accensum non comburit solum, sed uapore etiam noxio omnia circum implet, atq; inficit propinquantes. Contra influxum eius hominibus communiter peregrinum & quodãmodo dissonum, nos armat Iuppiter, tum naturali qualitate sua, tum alimẽtis medicinisq; certe suis, atq; (ut putant) etiam imaginibus, tum etiam moribus negocijsq; & studijs atq; rebus ad ipsum propriè pertinentibus. Noxium uero influxum Saturni effugunt, subeuntq; propitium, non solum qui ad Iouem confugunt, sed etiam qui ad diuinam contemplationem ab ipso Saturno significatam, tota mente se cõferunt. Hoc enim pacto malignitatem fati deuitari posse Chaldæi & Aegyptij atq; Platonici putant. Cum enim cœlestia nolint esse corpora uana, sed diuinitus animata, atque insuper mentibus recta diuinis: nimirum illinc ad homines non solum quamplurima ad corpus & spiritum pertinentia, sed multa etiam bona quodammodo in animam redũdantia proficisci uolunt, non à corporibus in animam, sed ab animis:

Saturnus quo similis

Magis autem hæc pluráque eiuſmodi à mentibus ſuperioribus coelo profluere. Inter hæc ſi rationes omnes aſſignare uolueris, quibus adductus Moſes ocium ſabbati mandauit Hebræis, forſan ultra ſublimiorem ſecretioremque allegoriam inuenies Saturni diem actionibus ciuilibus beliciſque ineptum, contemplationibus aptum, eóque die diuinum contra diſcrimen patrocinium obſecrãdum. Quod quidem impetrari poſſe aduerſum Martis & Saturni minas Abraham, & Samuel, & plures Hebræorũ aſtrologi, eleuatione mẽtis in Deũ, uotiſque et ſacrificijs confitentur præceptum illud Chaldæum confirmantes. ſ. Si mentem ad pietatis opus ardentem erexeris, corpus quoque caducum ſeruabis. Conſideratu dignum eſt illud Iamblichi, coeleſtia mundanáque numina utres quaſdam in ſe ſuperiores, nonnullas inferiores habere. Per has quidem effectibus nos fatalibus deuincere, per illas autẽ uiciſſim ſoluere nos à fato: quaſi claues, ut inquit Orpheus, ad aperiendũ habeant & claudendum. Multo igitur magis diuinitas mundo ſuperior à fatali neceſsitate nos redimit. Exploratu quoque digniß. eſt Hebraicum illud, in mactandis animalibus rebúſque noſtris ſacrificio diſsipandis mala coelitus imminentia, à nobis ad noſtra deflecti. Sed hæc Pico noſtro exploranda relinquimus. Denique ubicunque dicimus coeleſtium ad nos dona deſcendere, intellige tum corporum coeleſtium dotes in corpora noſtra uenire per ſpiritum noſtrum rite paratum, tum eadem prius etiam per radios ſuos influere in ſpiritum naturaliter, uel quomodocunque illis expoſitum: Tũ etiã aĭarum coeleſtium bona, partim in eundẽ ſpiritũ per radios profilire, atque hinc in noſtros animos redundare, partim ab animis eorum, uel ab angelis in animos hominũ

Moſes die Saturni negocium interdixit.

illis expositos, peruenire. Expositos inquam non tam naturali quodã pacto, quàm electione arbitrij liberi uel affectu. Summatim uerò quicunq; uoto, studio, uita, moribus, beneficentiam, actionem, ordinem cœlestium imitãtur, eos existimato tanquàm supernis similiores, ampliores illinc dotes accipere: Homines autem artificiose cœlestium dispositioni dissimiles atque discordes, & clàm esse miseros, & denique palàm infelices euadere.

Vt prosperè uiuas agásque, in primis cognosce ingenium, sydus, Genium tuum, & locum eisdẽ conuenientẽ: hic habita, professionẽ sequere naturalẽ. Cap. 23.

QVicunque sanæ mentis suiq; compos nascitur, est à cœlo ad honestum aliquod opus & uitæ genus naturaliter institutus. Quisquis igitur cœlum optat habere propitium, hoc opus, hoc genus in primis aggrediatur, hoc sedulò prosequatur. Cœlum.n. suis fauet inceptis. Ad hoc ipsum uerò præ cæteris es natura factus, quod primum à teneris annis agis, loqueris, fingis, optas, somnias, imitaris, quod tentas frequẽtius, quod facilius peragis, quo summopere proficis, quo præ cæteris delectaris quod relinquis inuitus: Hoc est sanè ad quod te cœlum rectórque cœli genuit. Eatenus igitur tuis fauebit inceptis, & aspirabit uitæ, quatenus genitoris ipsius auspicia prosequeris, præsertim si uerum sit Platonicum illud (in quo tota consentit antiquitas) unicuiq; nascenti esse dæmonem quendam uitæ custodem, ipso suo sydere destinatum. Qui & ad hoc ipsum officium adiuuet, cui nascentem cœlestia deputarunt. Quicunque igitur per argumenta, quæ modo diximus suum ingenium perscrutatus, ita naturale suum

Platonis sentẽtia.

opus inueniet inuenerit, simul suũ sydus & dæmonem: quorum exordia sequens aget prosperè, uiuetq; feliciter: alioquin & fortunam experietur aduersam, & cœlum sentiet inimicum. Duo igitur sunt præ cæteris hoĭum infortunatorum genera: Alterum eorum qui nihil profitẽtur nihil agunt: Alterum eorum qui professionem ingenio alienam subeũt, Genióque contrariam. Illi quidem ignauia torpẽt, interim ad actiones incitante cœlo semper agente. Hi dum aliena à patronis cœlestibus agunt frustra laborant, supernis destituti patronis. Primum quidem antiquo prouerbio confirmatur, Dei adiuuant facientes, ignauis autem infensi sunt. Secundũ prouerbio simili, Nihil agas inuita Minerua. Ob hanc arbitror rationem Iouẽ in Pythagoricis carminibus obsecrari, ut uel ipse tot malis leuet genus humanũ, uel saltẽ quo duce dæmone utantur, ostendat. Proinde operæpretium fuerit indagare, ad quam potissimum regionem habi tandam & excolendam te tuum sydus dæmónque tuus ab initio designauerit: ibi. n. magis aspirãt. Ea uerò est in quã primum profectus spiritus tuus quodammodo recreatur, ubi sensus uegetior permanet, ubi corporis habitudo ualidior, ubi magis pleriq; fauent, ubi uota succedunt. Hæc igitur experire: hanc regionem elige: hanc cole feliciter: Hinc uidelicet discessurus infelix, nisi & rediturus, & ad similia pergas. Sed interea frequentibus in hac regione motibus te exerce, gyróque quosdam cœlestium instar agito. Motu enim, circuitúque eiusmodi genitus similibus conseruabere. Quantum præterea ad habitationem pertinet utiliter recordabere. Sicut alimenta uitæ necessaria rus quidem urbi suppeditat, urbs uerò consumit: sic & ipsam uitam rusticatione frequenti, ubi tædium te minime ceperit plu-

Id est, retẽ quo duce dæmone utantur, ostendat. Proinde operæpretium fuerit indagare, ad quam potissimum regionem habitandam & excolendam te tuum sydus dæmónque tuus ab initio designauerit: ibi. n. magis aspirãt. Ea uerò est in quã primum profectus spiritus tuus quodammodo recreatur, ubi sensus uegetior permanet, ubi corporis habitudo ualidior, ubi magis pleriq; fauent, ubi uota succedunt. Hæc igitur experire: hanc regionem elige: hanc cole feliciter: Hinc uidelicet discessurus infelix, nisi & rediturus, & ad similia pergas. Sed interea frequentibus in hac regione motibus te exerce, gyróque quosdam cœlestium instar agito. Motu enim, circuitúque eiusmodi genitus similibus conseruabere. Quantum præterea ad habitationem pertinet utiliter recordabere. Sicut alimenta uitæ necessaria rus quidem urbi suppeditat, urbs uerò consumit: sic & ipsam uitam rusticatione frequenti, ubi tædium te minime ceperit plu-

fragãte in gẽio, repugnãte natura, cœlo non propitio.

Hinc Seneca dixit male resp̃dere coacta ingenia.

rimum augeri, sed urbano cùm ocio tum negocio conteri. Quantum uerò ad habitationem simul & professionẽ spectat, illud orientaliũ astrologorum minime cõtemnendũ, uidelicet mutatione nominis, professionis habitus, uictus, loci cœlestem influxũ nobis tum in melius, tum in deterius permutari. Dæmones quoq; uel cõmutari, uel ad eosdem aliter hic & alibi nos habere Platonici iudicabunt. Dæmonem uerò uniuscuiusque custodem Astrologi cum Platonicis geminum esse posse consentiunt: alterum quidem genituræ proprium, alterum uerò professionis. Et quoties professio cum natura consentit, eundem utriusque dæmonem, uel certè simillimum nobis adesse, uitámque inde nostram magis secum fore concordem atq; tranquillam. Sin autem professio dissidet ab ingenio, dæmonem acquisitũ arte, esse à genio naturali discordem, uitámq; laboriosam atq; solicitam. Qualis aũt unicuiq; dæmon ab ipsa generatione præsit cupiẽtibus inuenire, Porphyrius regulam inuestigat ex Planeta domino genituræ. Iulius Firmicus Planetam genituræ dominum esse inquit, uel eum qui plures illic habeat dignitates, uel ex firmiori sententia potius eum cuius domicilium mox petitura sit Luna post signum, quod homine nascente iam tenet. Sed dæmonem non eadem regula putat inuestigandum, uerum ex Chaldæorũ opinione à Sole potius aut Luna: A Sole quidem ad Lunam in natiuitate diurna, à Luna uicissim ad Solem in natiuitate nocturna: ut computato inter hæc interuallo, æquale spatium peragas ab ascendentis gradu descendens, & in quem terminum desinis animaduertas. Cuius enim Stellæ est ille terminus, eiusdem esse dæmonem arbitrantur. Summatim uerò à domino genituræ simul atque dæmone, tenorem uitæ fortu-

Duo homini dæmones.

Hoĩs dæmones

námque perpendere ſolent. Fortunam adiunxi, quoniã nõ nulli partem fortunæ, eadẽ fermè cõputant ratione. Optabant ueteres ſuum ad ſe dæmonem ab aliquo cœli cardine deſcendiſſe, ab oriente uidelicet uel occidente uel medio utrinque cœlo, aut ſaltem ab undecima uel quinta plaga. Vndecima quidem medio ſupra caput noſtrum cœlo ſuccedit, ac bonus dæmon cognominatur, & aſcendentem ab oriente gradum aſpicit ex ſextili. Quinta uero antipodũ medio ſuccedit, appellatúrque bona fortuna, & aſcendentem gradum contuetur ex trino. Optabant tertio loco dæmonem, ſi modo à cadenti plaga uenerit ſaltem, uel à nona ueniſſe, uel à tertia. Nona enim appellatur Deus, tertia uerò dea. Et illa aſcendentem gradũ ex trino, hæc aſpicit ex ſextile: Cadẽtes uerò duodecimã atque ſextã exhorrebant: illam ſanè malum dæmonem, hanc malam fortunã cognominantes. Nos autẽ optare præterita ſuperuacuum arbitrati, monemus eaſdem plagas, quas illi pro dæmonibus fortunisque optabat, obſeruari pro Planetis & ſtellis ad opus efficiendum accõmodãdis, ut uel ſint in angulis, aut in duabus quas dicimus ſuccedentibus, aut ſaltẽ in duabus duntaxat cadẽtibus, quas antea nominauimus. Neque enim ab re Solem nona gaudere dicunt, Lunã tertia, Iouem undecima. Venerẽ uerò quinta. Hę nanque gradum conſpiciunt aſcendentem. Sed redeamus ad inſtitutũ. Siue igitur ab illa, quã in ſuperioribus narrabam, experiẽtia diligentiáque, ſiue ab hac arte quã modo recenſui, primum inueſtigemus naturæ dæmonisque inſtinctũ, infortunatũ eſſe cenſebimus, qui officium nullum profitetur honeſtum. Nam & ducem profeſſionis reuera nõ habet, qui opus honeſtũ non aggreditur, et ducem naturalẽ uix ullẽ

Fortunata horoſcopi domus

habet: Quoniam ſtellarum dæmonúmq; ſiue angelorũ ducum diuinitus ad cuſtodiam diſpoſitorum officiũ, eſt agere ſemper et excellenter & latiſsime. Infortunatũ inſuper eum, ut ſuprà diximus, qui profeſsione naturæ cõtraria diuerſum à Genio ſubit dæmonẽ. Memento uerò pro dignitate profeſsionũ digniores gradatim accipi dæmones, ſeu mauis angelos, atq; in gubernatione publica etiã dignio-res. Poſſe uerò artem uitæq; tenorem accipi Genio et ingenio non contrariũ, neq; longè diuerſum, etiam ſi ad excellentiora proceſſeris. Memẽto rurſus familiaritatem eorũ inire, quibus Gratiæ cœleſtes afflant. Quod ex bonis animi, corporis, fortunæ perpendes. Sicut.n. odor ex muſco, ſic ex bono boni nonnihil exhalat in proximum, ac ſæpe perſeuerat infuſum. Mirificus autem fòret cœtus trium felicium uel duorum inter ſe mirabiliter redundantiũ. Memento deniq; effrænatos & impudentes & malignos ac infelices procul fugere. Hi nanq; malorum pleni dæmonũ uel radiorũ, malefici ſunt, & tanquã leproſi peſtilentesq; non ſolum tactu nocent, ſed propinquitate etiam & aſpectu. Sanè propinquitas ipſa corporum animatorum putatur eſſe cõtactus, propter efficacem uaporum exhalationem fòras à calore, ſpiritu, affectu, manãtem. Maxime uerò peſtilens erit flagtioſorũ familiaritas atq; crudelium, ſi uerum fuerit, poſt uegetalem uitam mẽſe Iouis. i. ſecundo nobis infuſam deinceps menſe Martis. i. tertio ſenſualem animam infundi perturbationibus mancipatũ. Sic.n. qui perturbatione feruntur, Martis pleni Martiali contagione propinquos inficiunt. Contraria uerò ratione conſuetudo frequens, contiguumq; cõmercium cum felicibus excellentibusq;, ut diximus, prodeſſe mirifice conſueuit,

Cõtagioſa infelicium propinquitas eſt

Apollonium

Apollonium Theanæum ferunt Ephesi deprehẽdisse senẽ sub cuius figura lateret dæmon, qui sola præsentia totã ciuitatẽ peste cõtaminabat. Quantum uerò Socrates multis præsentia sola profuerit, Xenophon & Plato testantur.

Qua ratione literati cognoscant ingenium suum, sequantúrque uictum spiritui consentaneum. Cap. 24.

QVoniam uerò literarum studiosis loquor, recordari unumquenque uolo literarum amore captum, in primis se esse Mercurialẽ, præterea Solarẽ quatenus ipse Mercurius est Solaris. Atq; hæc cõmunis his omnis est conditio. Propriè uerò præter naturam Mercurialem quisquis eloquij gratia, lepore, dignitate, uenustate pollet, Apollinem in se agnoscat & Venerẽ. Qui ad leges uel naturalem communemq; philosophiam est propensior, non ignoret Iouem se habere patronum. Sed qui ad secretißima quæq; curiosius perscrutãda penitus instigatur, sciat se non Mercurialem solum esse, sed Saturnium. Sub cuius etiam principatu sunt omnes in quouis studio usq; ad finẽ seduli, præsertim in rebus alijs negligentes. Denique si uerum est quod nonnulli tam Physici quàm Astronomi tradunt, animam intellectu prædita in conceptum humanum mense Solis, id est, quarto descendere, qui plurimum intellectu uiuũt, & ab initio sunt præcipue, & quotidie Solares euadunt. Horum itaq; Planetarum fauor his hominibus auspicãdus erit. Sub eorũ spiraculo medicinæ conflandæ. In eorum regionibus habitandum. Verum ad Apollinem Musarum ducem in primis uos ò literati Musarũ cultores aduoco. Quicunq; igitur inter uos dilectißimi in Musarum amore fratres, ingenio

multo magis longusq; quàm corpore ualent, ij profecto sciant in genitura quondã sua Phœbum quidem materiam suppeditasse perpaucam, phœbeum uerò spiritũ infudisse quàmplurimum, immo & quotidie humores alimẽtaq; in corpore in spiritum maxima quadam ex parte resoluere. Vnusquisq; igitur uestrum totus est fermè spiritus. Spiritalis ĩquam homo quidam, terreno hoc corpusculo personatus, spiritum ante alios ꝑpetuo quodam labore fatigans, ut ipsi præ cæteris sit assidue spiritus recreandus, & in se nectute præterea in qua cõmuniter euadit crassior, ad subtilitatem propriã reuocandus. Scitis profectò crassum cor

Spiritus pus crassis elementis quatuor ali. Scitote igitur spiritale

alimenta corpus suis quibusdam tenuibus elementis quatuor enutriri. Huic.n. unum est pro terra: odor ipse uini uicem gerit aquæ: cantus rursum & sonus agit aerem: lumen aũt præfert igneum elementum. His ergo quatuor præcipuæ spiritus alitur, uino inquã eius odore & cantu, similiter atq; lumine. Sed nescio quomodo ab Apolline primum exorsi incidimus mox in Bacchum. Et meritò quidem à lumine peruenimus in calorem, ab ambrosia in nectar, à ueritatis intuitu, in ardentẽ ueritatis amorem. Fratres certe sunt induiduiq; comites Phœbus atq; Bacchus. Ille quidem duo potissimum uobis affert, lumen uidelicet atq; lyrã. Hic itẽ præcipue duo, unum, odorémq; uini ad spiritum recreandum, quorum usu quotidiano spiritus ipse tandem phœbeus euadit & liber. Quamobrem ita uos ad excipiendũ Solis lumen quotidie comparate, ut quatenus deuitata distillatione quadam & exiccatione fieri potest, frequentissime sub luce uiuatis, saltem in cõspectu lucis, tũ eminus, tum cominus, tum tecti, tum aperti, ad usum ubiq; uestrũ

uitalem Solis potentiam temperantes, atq; igne refrenteſ in nocte Solem citharæ cantuſq; interim non obliti. Spirate uerò ſemper & uigilantes & dormientes aerem uiuum, aerem luce uiuentem: Similiter habere uos oportet ad merum Bacchi donum, Apollinis beneficio procreatum. Eadem igitur proportione qua lumen, accipite uinum: Abunde quidē quatenus nec deſtillatio nec exiccatio, qualem dixi, ebrietáſue cōtingat. Atque præter ſubſtantiā uini quotidie bis acceptam, odorem eius frequentius haurite partim quidem os, ubi ſpiritus fuerit recreandus, colluētes mero, partim lauantes eodem manus, partim naribus & temporibus admouentes. Satis iam fratres colloquuti ſumus, ſatisq; combibimus: Ergo Valete.

De Aſtronomica diligentia in liberis procreandis, in præparandis epulis, in ædificijs & habitatione atque ueſtibus, & quantū curare talia liceat.

Cap. 25.

SEd iuuat etiam parumper alloqui ſeuerum religionis antiſtitem. Dic age quidnam in aſtrorum uſu damnas antiſtes? Quicquid, inquies, arbitrio noſtro detrahit, quicquid unius Dei cultui derogat. Eadem ego tecum non damno ſolum, ſed etiam ualde deteſtor. Execraris quinetiā ſcio, atque ego inſuper perhorreſco nonnullos, qui cū Deū exoratū uolunt, ad Iouem in medio coelo uaſtum illud dranis caput ſubeuntem, tā miſeri quā ſtulti confugunt, ab ipſo uidelicet dracone, qui quondam è coelo corruit, tertiam Stellarum partem ſecum trahens denique deuorādi. Verū cōcedes ne cōtractibus, matrimonijs, colloquijs, itineribus ſimilibuſque opibus peragēdis horas opportunas eligere?

Non facile te his assensurũ uideo, nescio quid arbitrio meo tuentem. Ego igitur, & si theologus ille Magnus Albertus ista dabit, & ratio quædam forte dictabit, per electionem ipsam ad arbitrium pertinentem, cœlestia ita prudentiæ nostræ usui subijci, quemadmodum herbæ medico subministrant, tibi tamen potius in præsentia credam: Et quã tu difficile nunc ea permittis, tam facile ipse dimittam. Obseruationes uerò Lunæ ideóque aliarum Stellarum ad morbos curãdos, & idcirco ad remedia præparãda iandiu (ut arbitror) permisisti. Concessum quoque abs te, & insuper approbatum, crescente Luna, eadémque aucta lumine, nec aliunde infortunata seminibus agros spargere, utes oleásque serere. Cur nõ igitur ad plantandũ (ut Cynice loquar) hoĩem utamur beneficio Lunæ, Iouísque & Phœbi? Nam Veneris quidem ad hæc officio semper utimur: Sed rectius modo dixissem, semper utuntur. Nam ipsa mihi Venus est Diana. Quid itẽ de uictu dicemus? Nónne licebit & proderit sub felici sydere tum autumno uinum, tũ indies panẽ epulásque conficere? Ac si nequeamus in his præparandis aspectus syderum expectare, expediet saltẽ ascendentes accipere uel aliter angulares, Solem, Iouem, Venerẽ, atq; Lunã. Sic. n. oĩa quibus utimur feliciter affecta cœlitus, feliciter nos afficient. Hactenus te uideo absq; controuersia cõcessurum, nisi fortè dicas, ita uitam nostrã nihil fore aliud quàm perpetuam seruitutẽ. Ad hæc ego subijciam, frustra mortales cumulandis pecunijs & honoribus seruituros, quibus sunt perpetuò mãcipati, nisi interim diligẽtia physica dies uitæ sibi plures accumulent. Aut igitur soli Deo seruiant, quod quidem est potiß. aut sicui præterea seruituri sunt, uitæ tum ualidæ tũ longæ potius, quàm pecunijs ho-

Vita nostra perpetua seruitus.

noribúsque uanis indulgeant. Concordes ergo sumus. Sed nunquid uel domos fundabunt temerè, uel infaustas habitabunt? Vbi contagiosa quædam calamitas ædificij fermè sic inficit habitãtem, ut uenenosus pestilentiæ uapor etiam ad biennium in pariete seruatus. Qualis etiam ex epidemia latens in uestè, diu postea utentem inficit incautum atque perdit. At postquàm hic in uestium incidimus mẽtionem, prohibebis ne, pie pater, in uestè conficienda, uel primum induenda spiraculum Veneris diligenter aucupari, quo quasi Venerea facta uestis, similiter prospera quadam corpus & spiritum afficiat qualitate? Nónne Medici uetant uulpium pelles, agninas probant? Nõ aliter fortè sydus indies quasi nascẽtes uestes afficit quàm semel ab initio natas. Vestes quidem & cætera artis opera certam à sydere qualitatem accipere, Thomas Aquinas in lib. de Fato confirmat. Tu igitur affirmabis. Infectas uerò uestes utẽtem inficere, etiam testis est scabies atque lepra. Denique si populi uitæ consulis (ut opinor) ista permittes. Vtque ego permißione tua consulam obseruanda. Sin autem eiusmodi moribundæ uitæ curam non improbas quidem, sed negligẽdã mones, ego quidẽ negligo, melioris uitæ fiducia fretus, cæterisque similiter consulo faciendum. Vale.

Pelles uulpium Me dici uetãt, agninas uerò probãt.

Vestes infectas utentẽ posse inficere.

Quomodo per inferiora superioribus exposita deducantur superiora: Et per mundanas materias mundana potißimum dona. Cap. 26.

SEd ne longius digrediamur ab eo, quod interpretantes Plotinũ instituimus ab initio, breuiter ita collige. Mundus ab ipso bono (ut Plato unà cum Timæo Pythgorico docet) quàm optimus effici poterat est effectus.

Est igitur non solum corporeus, sed uitæ insuper & intelligentiæ particeps. Quamobrem præter corpus hæc mundi sensibus familiariter manifestum, latet in eo spiritus corpus quoddam excedens caduci sensus capacitatem. In spiritu uiget anima, in aĩa fulget intelligentia. Atq; sicut sub Luna nec miscetur aer cum terra, nisi per aquam: nec ignis cũ aqua, nisi per aerem, sic in uniuerso esca quædã, siue fomes ad animam corpori copulandam est ille ipse quem spiritũ appellamus. Anima quoque fomes quidã est in spiritu corporeq; mundi, ad intelligentiam diuinitus consequendam. quemadmodum summa quædam in ligno siccitas, ad penetraturum oleum est parata. Oleum huic imbibitum pabulum est ad ignem, ad calorem dico proximè. Calor ipse luminis est uehiculum, ac si lignum hoc eiusmodi sit, ut igne præsente fulgeat, non uratur, qualia quandoq; uidimus. Iã hoc exemplo uidebimus, utrum uel homo, uel aliud quiddam sub Luna certis quibusdã præparamentis, partim quidem naturalibus, partim arte quæsitis, uitalia atq; etiã fortè intellectualia quædam bona opportune, quodãmodo de super accipere posit. Verum quod hic ad religionem spectat discutiemus alibi, ubi Plotinus in mediũ hæc adducet. Quod uerò ad naturales spectat influxus, qualescunq; sint desuper uenientes, scitu eos in nobis materijs q; nostris ita demum per artem comparari posse, quando fomenta nobis nostris q; ad illos natura suggesserit, cœlum q; ad eosdẽ opportunius conspirauerit. Nónne in ipso fœtu natura fœtus ipsius artifex, cum certo quodam pacto corpusculum affecerit figuraueritq;, hoc ipso statim præparamento, uelut esca quadam spiritum ab uniuerso deducit? Perq; hunc uelut fomitem, uitam haurit atq; animam? Ac denique per

Aĩa spiritus fomes.

certam animæ ſpeciem diſpoſitionemq; corpus ita uiuens dignum eſt præſentia mentis tandē donatæ diuinitus. Vbi que igitur natura maga eſt, ut inquit Plotinus atque Syneſius, uidelicet certa quædam pabulis ubiq; certis ineſcans, non aliter quàm centro terræ grauia trahens, Lunæ concauo leuia, calore ſolia, humore radices, cæteraq; ſimiliter. Quo quidem attractu ſe cum ipſo deuinciri mundum teſtantur ſapiētes Indi, dicentes mundum eſſe animal paſſim maſculum ſimulatq; fœminam, mutuoq; membrorum ſuorum amore ubiq; coire ſecum, atq; ita cōſtare: uinculū uerò membrorum ineſſe per inſitam ſibi mentem, quæ totam infuſa per artus agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. Hinc Orpheus naturam ipſam mundi Iouēq; mundanū marē appellat et fœminam. Vſqueadeò mutui partium ſuarum coniugij ubiq; mundus eſt auidus. Eſſe uerò maſculinum ſexum fœmininо ubiq; cōmiſtum, declarat illinc quidē ordo ſignorū, ubi præcedēs perpetuo deinceps ordine maſculinū eſt, ſubſequēs fœmininum: hinc uerò arbores atq; herbæ, quæ etiam ſicut animalia utrunq; ſexū habēt. Mitto quòd ignis ad aerem, aqua ad terrā maſculi uicem tenet ad fœminam, ut non mirum ſit mēbra inter ſe mundana & omnes eius articulos mutuum coniugum cō cupiſcere. Quod & Planetæ conciliāt, partim quidē mares, partim uerò fœminæ, præcipue uerò Mercurius maſculus atq; fœmina, Hermaphroditi pater. Qd' ſanè animaduertens agricultura, præparat agrum ſeminaq; ad cœleſtia dona, & inſitionibus quibuſdā uitam plantæ propagat, et ad ſpeciē alteram meliorem q; producit. Similia quædā efficit et medicus, phyſicus, et chirurgicus in corpore noſtro, tū ad noſtrā foueēdā, tū ad uniuerſi naturā uberius

Mūdus eſt animal

comparandam. Idem quoque Philosophus naturalium rerum astrorúmque peritus, quem proprie Magum appellare solemus, certis quasdã illecebris cœlestia terrenis opportune quidem, nec aliter inserẽs quàm insitionis studio sus agricola, ueteri recentẽ stipiti surculum. Quod et Ptolemæus ualde probat, affirmans eiusmodi sapientem sic astrorum opus aduuare posse quemadmodũ agricola terræ uirtutem. Subijcit Magus terrena cœlestibus, immo inferiora passim superioribus, ut proprias ubique fœminas suis maribus fœcundandas, ut ferrum Magneti trahẽdũ, ut camphoram aeri feruenti fugendam, ut crystallum Soli illuminandum, ut sulphur & sublimem liquorem accendẽdum flammæ, ut oui testam uacuam & impletam rore Soli eleuandam, immo ut ouum ipsum gallinæ fouẽdum. Præterea sicut nonnulli fouentes oua, etiam sine animalibus uitam illis ex uniuerso cõciliant, & sæpe materias quasdam opportune parãtes absque ouis manifestisq; seminibus animalia procreãt, ut ex ocymo scorpionẽ, apes ex boue, ex saluia auem merulæ similẽ, uitam uidelicet à mundo materijs certis opportunisq; tẽporibus adhibentes: Sic & ille sapiens ubi cognouit quæ materiæ, siue quales partim inchoatæ natura, partim arte perfectæ, & si sparsæ fuerint congregatæ, qualem cœlitus influxum suscipere possint, has eo regnante potissimum colligit, præparat, adhibet, sibique per eas cœlestia uẽdicat. Vbicunque. n. materia quædam sic superis exposita est, sicut speculare uitrum uultui tuo, pariesque oppositus uoci, subito superne patitur ab agente uidelicet potẽtissimo, à potestate uitáque mirabili ubiq; præsente, uirtutẽq; passione reportat, nõ aliter quã et speculũ imaginẽ repręsentat ex uultu, et ex uoce paries

Magũm quem dicemus

echo. His fermè exẽplis ipſe Plotinus utitur, ubi Mercuriũ imitatus ait ueteres ſacerdotes ſiue Magos in ſtatuis ſacrificijſque ſenſibilibus diuinũ aliquid et mirãdũ ſuſcipere ſolitos. Vult aũt unà cũ Triſmegiſto per materialia hæc non proprie ſuſcipi numina penitus à materia ſegregata, ſed mundana tantũ, ut ab initio dixi, & Syneſius approbat. Mundana inquã. i. uitam quandam, uel uitale aliquid ex anima mundi & ſphærarum animis atque ſtellarum, uel etiam motum quendam & uitalem quaſi præſentiam ex dæmonibus, immo interdum ipſos dæmonas eiuſmodi adeſſe materijs. Mercurius ipſe, quem Plotinus ſequitur inquit, dæmonas aerios non cœleſtes, nedum ſublimiores: ſtatuásque Mercurius ipſe componit ex herbis, arboribus, lapidibus, aromatis, naturalem uim diuinitatis (ut ipſe ait) in ſe habẽtibus. Adiungit cantus cœleſtibus ſimiles, quibus ait eos delectari: ſtatuisque ſic adeſſe diutius, & prodeſſe hominibus uel obeſſe. Addit ſapientes quondam Aegyptios, qui et ſacerdotes erant cũ non poſſent rationibus perſuadere populo eſſe deos. i. ſpiritus aliquos ſuper homines, excogitaſſe magicũ hoc illicitum, quo dæmonas allicientes in ſtatuas eſſe numina declararent, Sed Iamblichus dãnat Aegyptios, quod dæmonas nõ ſolum ut gradus quoſdã ad ſuperiores deos inueſtigandos acceperint, ſed plurimũ adorauerint. Chaldæos uerò dæmonibus nõ occupatos Aegyptijs anteponit. Chaldæos inquam religionis antiſtites: nã Aſtrologos tã Chaldæorũ quã Aegyptiorũ quodãmodo tẽtauiſſe dæmonas p harmoniã cœleſtẽ in ſtatuas fictiles trahere ſuſpicemur. Qd' ſignificare uidetur aſtrologus Samuel Hebræus, authoritate Dauidis Bilaſtrologi fretus, antiquos uidelicet fictores imaginum

Chaldæi religionis antiſtites

feciſſe ſtatuas futura pronunciantes. Harmoniam uerò cœleſtium his accõmodatam eſſe tradit. Metallũ fundere ad hominis pulchri formam, die Mercurij hora tertia. ſ. Saturni, quando Mercurius Saturnum in Aquario ſubit, in nona cœli plaga uaticiniũ deſignante, aſcenditque Geminorum ſydus ſignificans prophetas ut aiunt, Mars à Sole comburitur, nec Mercurium intuetur, Sol tamẽ aſpicit cõiunctionis illius locum, Venus interea aliquem obtinet angulum, occidẽtalis eſt & potens, Luna ex trigono gradũ aſpicit aſcendentem, ſimiliterque Saturnus. Hæc ille. Ego autem primo quidem ex beati Thomæ ſententia puto, ſi modo ſtatuas loquentes effecerint, non ſimplicẽ ipſum ſtellarum influxum ibi formauiſſe uerba, ſed dæmonas. Deinde ſi fortè contigerit eos in eiuſmodi ſtatuas ingredi, non arbitror hos ibi per cœleſtẽ influxum fuiſſe deuinctos, ſed ſponte potius ſuis cultoribus obſecutos, deniq; decepturos. Nam & natura ſuperior ab inferiore conciliatur quidem aliquando, ſed cohiberi nequit. Et diſpoſitio illa ſyderũ paulo ante deſcripta, cõcurrere fortè nõ poteſt. Quãuis autem dæmones aſtronomica ratione ſtatuis non includantur, tamen ubi per cultum eis exhibitũ præſentes extiterint, Porphyrius ait eos regulis aſtronomicis oracula reddidiſſe, atq; ideò frequenter ambigua, & merito, quoniam Iamblichus probat prophetiam ueram atq; certam, nec malis dæmonibus conuenire, nec humanis artibus uel natura, ſed ſpiratione diuina purgatis mentibus prouenire. Sed ad Mercurium, ĩmo ad Plotinũ iam reuertamur. Mercurius ſacerdotes ait accepiſſe uirtutem à mundi natura cõuenientem, eamq; miſcuiſſe. Secutus hunc Plotinus, putat totum id anima mundi conciliante facile confici

REG VENETO VENEZIA

posse quatenus illa naturalium rerum formas per semina-
les quasdã rationes sibi diuinitus insitas generat atque mo
uet. Quas quidem rationes appellat etiam Deos, quoniam
ab ideis supremæ mentis nunquàm destituũtur. Itaque per
rationes eiusmodi animam mundi facile se applicare mate
rijs, quas formauit ab initio per easdem, quãdo Magus uel
sacerdos opportunis tẽporibus adhibuerit formas rerum
rite collectas, quæ rationẽ hanc aut illam propriè spectãt,
sicut Magnes ferrum, Reubarbarũ choleram, Crocus cor,
Eupatoriũ Spodiumq; iecur, Spica Muscusq; cerebrum.
Fieri uerò posse quandoque ut rationibus ad formas sic ad
hibitis, sublimiora quoque dona descendant, quatenus ra-
tiones in aĩa mundi coniunctæ sunt intellectualibus eiusdẽ
aĩæ formis, atque per illas diuinæ mentis ideis. Quod &
Iamblichus approbat, ubi de sacrificijs agit. Qua de re ali
bi nos opportunius disputabimus. Vbi etiam appa
rebit, quàm impura superstitio populi gen-
tilis extiterit, contra uerò quàm pura
pietas euangelica fuerit, quod
magna ex parte in lib.
de religione Chri
stiana iam se
cimus.

ATENEO VENETO
VENEZIA

FINIS.

MARSILII FICINI APOLOGIA, IN QVA DE Medicina, Astrologia, Vita mundi. Item de Magis qui Christum statim natum salutauerunt, agitur.



Marsilius Fic. Flo. dilectiß. suis in ueritatis studio fratribus, tribus Petris, Nero, Guicciardino, Soderino, ter quaterq; salutem. Rectius modo Tripetro quã tribus Petris fortasse dixissem. Sicut. n. palma est una, nõ faciunt plures in ea digiti manus ibi plures: sic uestra amici corpora tria nihil prohibere uidẽtur, quò minus unũ efficiat Petrũ una uolũtas. Faber ille cœlestis patriæ Christus tã ingentẽ procreauit petrã, ut ĩmẽso huic ædificio ecclesiæ suæ una hæc petra fundãdo sufficeret. Ego quoq; tã grãdes nactus sũ diuĩa quadã sorte petras, ut tres nũc meo uel arduo satis ædificio faciãt. Nũc uobis amici nũc, si nescitis arx illa Palladis necessaria fore uidetur, qua, pcul à nobis sæuũ impiorũ gigantũ impetũ arceamus. Quãobrẽ uestra primũ arce tribus cõstructa Petris, triũ librorũ meorũ uitã, uitæ publice succurrentiũ munire decreui. Scitis (ut arbitror) me de Vita librũ cõposuisse, in libellos treis diuisũ: Quorũ primus, de Vita sana, Scd's, de Vita lõga, Tertius, de Vita cœlitus inscribetur. Igitur esca tituli tã suauis quãplurimos alliciet ad gustãdũ. Sed ĩ numero tãto ignorãtes pleriq; futuri sunt (ut arbitror) maligni quoq; nõ pauci. Alius ergo dicet: Nõne Marsi. est sacerdos? Est profecto. Quid igitur sacerdoti

bus cum Medicina? Quid rursum cum Astrologia commercij? Alius item. Quid Christiano cum magia uel imaginibus? Alius autem & quidem indignus uita, uitam inuidebit cœlo. Cuncti denique sic affecti, beneficio in eos nostro ingrati nimis erũt, atque aduersus charitatem nostrã, qua uitæ prosperitatique publicæ pro ingenij facultate cõsulimus, nõ pudebit esse crudeles. Cõis igitur erit uobis iste labor: sed ut quodammodo leuior sit, tres. n. estis aduersum tres hostes, distributum subite certamen. Nec inuectiua (nouì. n. ingenium uestrum) confutabitis inuectiuam, sed alieni fellis amaritudinem (quæ uestra suauitas est mirifica) uestri mellis dulcedine superabitis. Principio candidiß. Nere respondeto primis, antiquißimos quondam Sacerdotes fuisse Medicos pariter & Astronomos. Quod sanè Chaldæorum, Persarum, Aegyptiorum testificãtur historiæ. Ad nullum præterea magis quàm ad pium sacerdotem pertinere singularis charitatis officia, quæ quidem in maximo omnium beneficio quam maxime lucent. Officium uerò præstantißimum est proculdubio, quod & maxime necessariũ, & in primis ab omnibus exoptatum, efficere uidelicet, ut hominibus sit mens sana in corpore sano. Id autem ita demum præstare possumus, si coniungmus sacerdotio medicinam. At quoniam medicina sine fauore cœlesti (quod & Hippo. Galenúsque confitentur, & nos experti sumus) sæpius est inanis, sæpe etiam noxia: nimirum ad eandem sacerdotis charitatem Astronomia pertinet, ad quã attinere diximus medicinam. Eiusmodi (ut arbitror) Medicum honorari sacræ literæ iubent, quoniã propter necessitatẽ hunc altiß. præueuerit. Et Christus ipse uitæ largitor, qui discipulis mandauit, languentes toto orbe curare, sacerdotibus

Priscos sacerdotes fuisse tũ Medicos tum astrologos

quoque præcipiet, si minus uerbis ut illi quondam mederi possint, saltem herbis & lapidibus medeantur. Quæ si minus ipsa sufficiant, opportuno quodam afflatu cœli cõstare hæc, & ægrotis admouere iubebit. Nam & ipse eodem afflatu cœli animalia passim ad suam quæq; concitat medicinam, usqueadeò uitæ omnium abundantiss. prouidet. Sic instinctu cœlesti diuinitus instigante, serpentes quidem marathro, hirundines autẽ chelidonia oculis medicãtur: Aquilæ uexatæ partu Aetitem lapidẽ diuinitus inuenerunt, quò feliciter oua statim enitterentur. Itaq; Deus ipse, qui per cœlũ animalia quæuis ad medicinas instigat, sacerdotes certè permittit non mercede inquam, sed charitate medicinis cœlitus confirmatis morbos expellere. His uerò tu deinceps plura etiam, si expedierit, ingenij tui aculeis addes. Surge post hæc & tu Guicciardine uehemens, atq; curiosis ingenijs respondeto, magiam uel imagines nõ probari quidem à Marsilio, sed narrari, Plotinũ ipsum interpretãte. Quod & scripta planè declarant, si æqua mẽte legantur. Neq; de magia hac prophana, quæ cultu dæmonum nititur, uerbũ quidem ullum asseuerari: sed de magia naturali, quæ rebus naturalibus ad prosperam corporum ualetudinem cœlestium beneficia captat, effici mentionem. Quæ sanè facultas tam concedenda uidetur ingenijs legitime utẽtibus, quã medicina & agricultura iure conceditur: tantóque etiam magis, quanto perfectior est industria, terrenis coelestia copulans. Ex hac officina Magi omnium primi Christum statim natum adorauerunt. Quid igitur expauescis Magi nomen formidolose? nomen Euangelio gratiosum, quod non maleficum & ueneficum, sed sapientem sonat & sacerdotem. Quidnam profitetur magus ille uenerator

Magiad plex.

Christi primus? Si cupis audire, quasi quidã agricola est, certe quidam mũdicola est. Nec propterea mũdũ hic adorat, quemadmodum nec agricola terram. Sed sicut agricola humani uictus gratia ad aerem tẽperat agrũ, sic ille sapiẽs, ille sacerdos gratia salutis humanæ inferiora mũdi ad superiora cõtẽperat: atq; sicut oua gallinæ, sic opportunè terrena subijcit fouenda cœlo. Quod efficit semper ipse deus, & faciendo docet, suadetq; facere, ut à superis infima generentur & moueantur atq; regantur. Deniq; duo sunt magiæ genera. Vnum quidem eorum, qui certo quodam cultu dæmonas sibi conciliant: quorum opera freti fabricant sæpe portenta, Hoc autem penitus explosum est, quando princeps huius mundi eiectus est fõras. Alterum ra uerò eorum qui naturales materias opportune causis subijciunt naturalibus, mira quadam ratione formãdas. Huius quoque artificij species duæ sunt: altera quidẽ curiosa, altera necessaria. Illa sanè ad ostentationẽ superuacua fingit prodigia: ceu quando Persarum Magi ex saluia sub fimo putrefacta, dum Sol & Luna secundam Leonis faciem occuparent, eúmque gradum ibi tenerẽt, generabãt auem merulæ similem, serpentina cauda, eámque redactã in cinerem infundebant lampadi, unde domus statim plena serpentib. uidebatur. Hoc autem tanquàm uanũ & saluti noxium procul effugiendum. Tenenda tamen species necessaria, cum Astrologia copulans Medicinam. Siquis autem pertinax ulterius instet, morẽ huic ita gerito Guiciardine, ut ne legat hæc nostra, nec intelligat, nec meminerit, nec utatur homo, si homo est tanto beneficio prorsus indignus. Multa sunt præterea quæ tu aduersus ingratam ignorantiam in medium afferre tuo ingenio poteris.

Magiæ duo genera

Quidnam agis & tu strenue Soderine noster? Tolerabis ne superstitiosos cæcosq; nescio quos futuros, qui uitã in animalibus uel abiectissimis, herbisq; uilissimis manifestã uident: in cœlo, in mundo non uident? Iam uerò si homunciones isti uitam minimis cõcedunt mundi particulis, quæ tandem dementia est, quæ inuidia, nec nosse, nec uelle totum uiuere in quo uiuimus & mouemur, & sumus? Qd̃ quidem canit Aratus, Iouem manifeste significans cõmunem corporis mundani uitam. Peropportune nũc in hæc Arati uerba nescio quomodo uideor incidisse. Memini Lucam euangelistam, memini Paulum apostolum his uerbis libenter uti, in quibus mundi uitam sapientes illi non horrent. At uerò superstitiosus quidam his obijciet, non facile conuinci ex uerbis eiusmodi Paulum assentiri mundum habere animam, sed tantum subesse Deo, ac nos in hoc ipso Deo uiuere. Esto igitur, ne nominemus in mundo quando nõ placet animam. Nomen sit anima prophanũ. Licebitne saltẽ uitã qualemcunq; dicere? quam Deus ipse mundi faber huic operi suo tam feliciter absoluto clemẽter inspiret: quandoquidem erga uilissima quæq; uiuentia nõ est auarus, & quotidie per cœlũ quamplurimis quæ sunt in eo largissime præstat uitã. Dic amabo, nónne uides boues & asinos, ò bos, ò asine, qui tactu quodam ex se uiuentia

Christus per cœlũ ãalia quæ uis ad medicinam in stigat

generãt esse uiuos? Si ergo hæc præterea ex se uiua quædam aspectu etiam generarẽt, an non multo magis hæc uiuere iudicares? si quod modo ipse iudicium, si quam uitã habes. Cœlũ terræ maritus, nõ tangit (ut cõis est opinio) terra cũ uxore nõ coit, sed solis syderũ suorũ quasi oculorũ radij undiq; lustrat uxorẽ, lustrãdo fœcũdat, procreatq; uiuẽtia. Nũ ergo uitã uel intuẽdo largiẽs, ipsũ in se ꝓpriã

nullam

nullam habet uitam? Et quod dedit aui Struthio uitã aſpectúmque uiuificum, longè eſt hoc ipſo deterius. His tandem adductis in medium niſi perſuaſeris, ſuperſtitioſum iſtum mittito ſemiuiuum, immo uerò nõ uiuũ. Proinde ut pluribus cauſam noſtram patronis agamus, addito Petre mi Nere Amphionem illum noſtrum Lãdinum Chriſtophorum oratorem pariter et poetam. Ille noſter Amphiõ ſuauitate mira celeriter lapidea hoſtium noſtrorum corda demolliet. Tu uerò Guicciardine clariſſime compater, ito nunc, ito alacer, Politianum Herculem accerſito. Herculeſ quondam ubi periculoſius certandum foret uocitabat Iolaum: tu nunc ſimiliter Herculem. Noſti profectò quod barbara monſtra Latium iam deuaſtantia Politianus Herculeſ inuaſerit, lacerauerit, interemerit, quàm acriter expugnet paſſim, quàm tutò propugnet. Hic ergo uel centum hydræ capita noſtris libris minitantia, ſtatim contundet claua flammiſque comburet. Ea mi dulciſſime Soderine, ſurge age, Picum ſalutato phœbeum. Hunc ergo ſæpe phœbum appello meum, ille me Dionyſium uiciſſim atque liberum. Fratres ergo ſumus. Nuncia Phœbo meo uenenoſum contra nos Pythonem, ex palude iamiam emergentem. Tendat arcum obſecra, precor. Confeſtim ſpicula iaculetur. Intendet ille protinus, ſcio quid loquar uenenúmque totum ſemel una nece necabit: Valete iam feliciter amantiſſimi fratres mei non ualetudine tantum felici, ſed ipſa etiam felicitate digni liberorúmque meorum in lucem iam prodeũtium ualetudinem felicitatémq; curate. Decimoquinto Septemb. M. CCCC. LXXXIX. in agro Caregio.

Chriſtophorus Landinus

Picus Mirandulæ comes

APOLOGIAE FINIS.

QVOD NECESSARIA SIT AD VITAM SECVRITAS ET TRANQVILLITAS ANIMI.

MArsilius Ficinus dilectißimis in ueritatis uenatione fratribus Bernardo Canisiano, Ioanni Cinacio, & Amerigo Cursino salutem. Cum primis hic in uerbis uenationē quandā instituissemus, meritò forsan canes statim adhibuimus & cursores. Aptè quidē philosophantes appellauimus uenatores, anhela semper ueritatis indagine laborantes. Num etiā aptè canes? Aptissime inquit in Republica Socrates: Philosophantes enim uel legitimi, sunt uel spurij. Ambo canes. Illi quidem ueritatem ipsam sagaciter inuestigant, mordicus inuētā tenēt. Hi uerò pro opinione latrant, mordent, lacerant. Tātum profectò canes inter philosophos sibi uendicant, ut non solum seipsos in sectam aliquam inseruerint, sed etiam sectam ipsi suam nomine Cynicam quandoq; confecerint. Habet quinetiam suos Academia canes. Huc ergo uos sagaces Academiæ canes, huc uos uelocißimi cursores aduoco. Tres enim estis. Treis ergo nunc meos precor defendite libros, adhuc teneriores, inter lupos (ut uereor) ueestigio prodituros. Currite inquam alacres, negocia enim nunc uobis optata mando, non curas. Georgium Benignum Saluiatum cognoscitis meum, qui ueritatē illam, per cuius nunc uos uestigia passim uenando discurritis, iā diu est sagaciter assecutus. Qui & fratres suos Solis instar, maior ipse minores illustrat. Huic igitur siquē luporū ululatū audieritis, nunciate. Fortißimus ille Georgius omnes facile fugabit lupos, qui & uastum draconē qñq; trāsfixit. Ille me igitur, ille solicitudine simul et uos cura

leuabit. Solet enim inter uos aliquis, et quidē iā sæpius dicere, nihil ad uitā salubrius experiri, quām magna cū securitate tēpora deglutire. Cæteri uerò dicenti protinus arridere. Sed dic age Canaci, quidnā hoc tuū est toties repetitum, Tēpora deuorare? Quid deniq; tibi uis? Nō esse inquies, sed bibere potius: nō mādere uel cōterere. Sed fauci bus plenis ingurgitare. Siquidē tēpus ipsum natura quædā est liquēs (ut ita dixerim) atq; labilis. Liquētiū uerò hæc est cōditio, ut si cohibeas in angustiū, subitò perdas. Diffluunt enim coacta celeriterq; diffugiūt. Si aquā spōgiæ imbibitā fortè cōpresseris, exprimes eā, statimq; dissperges. Si latius hāc tenueris, retinebis: multo magis aerē ignémq; & ætherē. Hinc apud Poetas frustra cōtendunt, qui ampla Diuorū maniumúe simulachra, ulnis capesse re moliētur. Late admodū accipiēda sunt latiſ. Liquentia & ampliſ. sunt ampliſime poſsidenda. Tunc certè grauiter nos premit angustia, quādo aīm ipsum motúmq; eius naturaliter amplū, redigimus in angustū. Quicūq; studia negociáq; pensitant exanuſsim, & in minima quæq; semper exactiſ. deterūt, uitā interea suā, heu suā uitā clā miseri cōterunt. Recte igitur Pythagoras præcepisse uidetur: Caue nequādo in angustū fortè cohibearis: nihil cœlo amplius, nihil est uitalius, Angustiſ. uicisim terra uitā habet in mūdo quā minimā. Deniq; si cœlo tpéq; uiuimus, quanto hæc latius absorbemus, tāto uiuimus et diutius. Viuite ergo lati ab angustia, pculo amici. Viuite læti. Lætitia cœlū uos creauit sua, quā suo quodā risu, id est dilatatione, motu, splēdore declarat quasi gestiēs. Lætitia cœlū uos seruabit uestra: Ergo quotidie in præsens uiuite læti. Nā soliciti udo præsentiū, rapit uobis præsens, præripitq; futurū.

Curiositas futurorum celeriter in præteritũ uos traducit. Iterum igitur precor atque iterum, uiuite læti. Nam fata sinunt, dum securi uiuitis. Sed ut reuera sine cura uiuatis, ne unam quidem hanc curam sumite, qua soliciti curetis unquam, qua potissimum diligentia curas effugiatis. Vna enim cura hæc mortalibus heu miseris omni cura cor urit. Negligite igitur diligentiam, negligentiam uerò diligite, atque hanc etiam negligenter, quoad licet uobis inquã, atque decet. Hæc autem non tam ut sacerdos amici mando uobis, quàm ut Medicus. Nam absque hac una tanquã medicinarum omnium uita, medicinæ omnes ad uitam producendam, adhibitæ moriuntur. XVI. Septembris, MCCCCLXXXIX. In agro Caregio.

Andreas Leonnius Medicinæ studiosis. S.

NOn abs re nobis uisum est his de Vita libris, eiusdem authoris Epidemiarum antidotum ueluti coronidem adsuere: quam ille quidem sua uernacula lingua, hoc est Tuscana, precibus amicorum cõscripserat: Nunc uerò hic uitæ thesaurus à Hieronymo Ricio Ticinensi in coloniam Romanam deriuatus est, ut si unà cum uoluptate & commoditatem metiaris, non sit aspernabilis. Traduntur in eo morbi nedũ definitiones, causæ morbi effectrices, signa, uerumetiam prophylacticen & præsentis mali curationem, uarijs diuersisq; corporibus accõmodatas, mira breuitate simulatq; facilitate persiringens medelas. His fretus præsidijs uitæ & sanitatis rationem ineas, tibiq; persuade. Αἱ δὲ περὶ τοῦ ὑγιαίνειν ὁρισμοὶ τοῦ ὡς γε μοι δοκεῖ.

MARSILII FICINI FLORENTINI MEDICI ATQVE Philosophi clarissimi Epidemiarum Antidotus, ex idiomate Thusco, à Hieronymo Ricio latinitate donata.

PRAEFATIO.

OPeræpretium duxi, patriæ pietatis impulsu, aliqua consilia contra pestilentiæ morbum conscribere. Vt uerò quisque huius penetrare intelligentiam & curam exercere possit, instituí subtiles omneis longásque disceptationes reijcere. Satis nanque erit, quod quicquid in præsentia sum traditurus, etsi breui uerborum contextu haud plura dici queant, sufficientibus tamen rationibus, multorúmque tam priscorum quàm recentiorum authoritatibus & experientijs, præsertim patris nostri Marsilij Ficini, inter medicos præcipui, qui haud paucos hac labe infectos pristinæ sanitati restituit, & comprobatum est & traditum. Imploramus itaque Deum Optimum Maximum humanæ uitæ largitorem, nec non uerarum salutariumq; medicinarum reuelatorem, ut contra pestis pericula efficacia nobis detegat remedia, utq; suum uitale donum nobis ad laudem gloriámque suam conseruet.

Ficini pater iterum medicos clarus.

QVID, QVALISVE SIT PESTIS. CAPVT I.

Pestis ua-por qua ratione homini contrarius sit.

PEstis, uenenosus quidam uapor est in aere concreatus, uitali inimicus spiritui: non quòd propter elemẽtarem aliquam qualitatẽ sibi contrarietur, sed specifica quadã proprietate. Veluti Theriaca, amica quidem est, nõ quia calida sit uel frigida, sicca uel humida, sed quoniam ex uniuersa eius cõpositione forma resultat quædã, uitalis formæ spiritus accõmodata: Sic & pestifer ille uapor non quia calidus, frigidus, humidus uel siccus, naturæ inimicus est, sed quia sua proportio quasi ad amussim proportioni contraria est, in qua spiritus consistit in corde uitalis. Et quẽadmodũ continuò in terra nascuntur uenena, sic sæpenumero nascitur uenenosus in aere uapor: attamẽ non ita potẽs, quia magis spargitur. Nec puro stabiliri potest in aere, quousq; talis aer est spiritui cõformis, et igni, qui ex suæ naturæ potentia alterius non recipit naturæ mistionẽ, unde fit quòd nullam capiat putrefactionẽ. Sic purus & aer nullam recipiendo mistionem, putrefieri minime põt. Rursus uenenosus huiusmodi uapor, humano ei solũ applicatur corpori, in quo apti ad febrem extant humores, utpote qui ad putredinẽ inflãmationemq; sunt dispositi. Etenim si uitalis potẽtior ipso fuerit spiritus, procul à se pellit: si uerò debilior, fugit eundẽ, suũ ueluti cõtrariũ opus. Quapp est ex usu, aerẽ, humores, & deniq; cor corrigere, purgare, roborare. Notandũ (ut recte capias) cũ dico uenenosum hunc esse uaporem tu ne credideris ipsum fore talem secundum formam, & totam sui naturam: quia oẽs inde inficerentur: Sed huiusmodi est qualitatis, ut

quàm facillime in ueneni naturam transeat. Et propriè ue
nenum efficitur, quando per ipsum in humano corpore, Aer nõ ue
certo quodam gradu putrefiunt humores, simul & ebul- nenosus se
liunt. Quod cõmuniter die tertia solet accidere, & inter- cundũ tota
dum citius, maxime ubi quis superfluis abundat humori- lem sui for
bus, præsertim sanguine & cholera. Et quando ueneni su mã sed qua
scipit naturam, calcis uel Arsenici qualitatem recipit, cu- litatem
ius effectus est putrefacere, rodere, ardere intus et extra.
Summe igitur necessum est, ut his trinis effectibus, potißi
mum interius, omni qua possumus industria resistamus.

Epidemiæ ortus causæ, & quæ potißimum huic malo obnoxia sint corpora.

Cap. 2.

CONcreatur huiusmodi uapor in aere, uniuersalio
ris tempore pestis ex malignis quibusdam constel
lationibus, præsertim ex Martis cum Saturno in
signis humanis coniunctione, & ex luminarium eclipsi-
bus. Qualis est præsenti pestis in anno .s. milleſimo qua-
dringẽteſimo ſeptuageſimonono: & qualis etiã fuit anno
eiusdem milleſimi, octauo, & hoc potißimum lædit homi Peſtis fo-
nes. Hisq; grassatur in locis, quæ Horoscopum siue suum menta
Ascendentem ob prædictos syderum aspectus infortuna-
tum habent. In magis uerò particularibus pestilẽtijs, præ
fatum nascitur uenenum, ex uẽtis & malignis lacunarum
cloacarũq; uaporibus, atq; pariter ex terræ motibus. At
uerò data istarũ quacunq; causa semper tamen grosso po
tißimum regnat in aere, inq; paludoso, nebuloso, fœtido.
Et qñ subtilem ad aerẽ extenditur, penetrat, uelociusq;,
interimit: at citius, frequẽtius, diutiusq; in grosso, calido,
humido fœtidoq; aere regnat. Asserũt doctorũ nõnulli pe

ſtilentialem putrefactionẽ ſubtili prius, poſt uerò groſſiori ineſſe aeri: ſed multo durabiliorem in groſſo. Haud ſcio quo mentis diſcurſu, quo fundamento primæ ſit mihi parti adhærẽdum, cum contrarium experiẽtia monſtret. Præterea nobis ratio dictat quòd cum non purum, ſed tantũmodo miſtum elementum putrefieri poſſit: quò minus eſt miſtum, quemadmodum eſſe cõſtat ſubtiliorem aerem, eò minus aptum eſt ad putrefactionẽ. Et propterea eam nõ niſi per aſſiduũ ſuſcipit augmentũ peſtiferæ ſyderũ influẽtiæ. At ueluti groſſior, miſta & ſtabilis aqua facilior putrefieri ſolet. ſic utiq; haud difficulter putrefactionem recipit groſſus & nebuloſus aer. Hoc dat præceptũ Raimũdus, quòd peſtẽ inferius excitata, altior ſubtiliórq; petendus eſt aer: ſed orta ſuperne, per duos mẽſes primo fugiẽdum eſt deorſum ad groſſiuſculum frigidum, humidũ, purumq; aerem, ubi rara eſſe ſoleat infirmitas. Sequentes uerò duos mẽſes ad mediam aeris regionẽ, deinceps ad paulò altiorem, uidelicet ſiccum, frigidum & ſubtilem, ſemp fugiendo calidum, & humidũ, & nebuloſum. Quo in aere tales ſunt homines, quales turbidis piſces in aquis. Id in ſuper facit peſtilentialis aer in hominibus, quod caligino ſæ putresq; in piſcibus aquæ. Sed quod hominibus uenenum eſt, nõ oportet ut ſemp tale cæteris ſit animantibus, propter cœleſtium ſignorũ ac animalium ſpecierũ diuerſitatem. Hinc oritur ut de illorum opinione quid dicam, ignorem penitus, aſſerentium quando peſtilentiale incipit in aere uenenum, quòd tunc quæ ſemper in alto degere ſolent auiculæ, deſcẽdunt ad ima, et planitiẽ inhabitant: Sed qñ in terra oritur, tũc lũbricos & ſerpẽtes exire dicũt de ſinu terræ, et auiculas quarũ cõſuetudo eſt uolare habita-

Peſtis quæ corpora obnoxia

Peſtis è terra prodeuntis ſigna

req; ad imũ, sublimia petere & mõtes adire. Addunt præterea, quòd qñ primum in aere, post uerò in terra uenenũ accenditur, interdum fugunt animantia ex alto deorsum, & exinde rursus altiora repetunt. Hinc est quòd uulgò dici solet, uultures seu miluos pestilentiali cedere aeri, & quæ loca huiusmodi tenẽt milui, pestifero nõ subesse aeri. Sæpius audiuimus hanc contagionem ab hominibus transisse ad porcos. Fieri forsitan id potuit per aliquam non quidem spiritus, sed carnis similitudinẽ. His proxime elapsis diebus semel atq; iterum pestilentiæ morbum ex una in alteram domum tulere feles & canes, ipsis tamẽ nulla ex parte hac cõtagione læsis. Nec ulla te propterea admiratio capiat, quod interdum sine omni nocumento, homo uel bestia prædictum suscipiant uaporẽ, ac tamẽ alios inficiant. Ignitũ nanq; ferrum stupã consumit et paleã, ipsum uerò nullatenus cõsumitur. Hoc enim ex recipientis subiecti dispositione prouenit, in quo potißimum secundũ Aristotelem, Galenum & Auicennam, rei consistit effectus, ita ut his proximis diebus bimus nostro in rure puerulus integro stetit die, infecto cum puero, annorum plus minus septẽ, cibo sæpius uescebatur infecti ore pueri masticato, neq; ullam ab ipso morbi labem suscepit, qua tamen correpti fuerunt alij lõguscule distantes. Nec nimiam habeas tua in dispositione fiduciam, cogitando te eius esse ualetudinis ut minime hæc tibi timenda sit cõtagio, sed hũc physicum obserua canonem: Quòd quando multum dispositæ est materia, agens tunc causa quantumcunq; imbecillis, citò producit effectũ: sic accẽdit stupã & sulphur fauilla ex suscipiẽtis aptitudine. Et cõtrà potẽtißima q̃ fuerit causa, etiã in non dispositam operatur materiã. Et licet sulphur

Pestis ex alio in aliũ transit

ignis suscipiat operationem citius quàm lignum, & siccũ lignum minuteq; incisum, facilius quàm cætera ligna: ardens nihilominus fornax ligna statim rapit in flãmam, & großiora & uiridia, eò quòd summa agentis potentia citò disponit atq; informat. Et multoties pestifer huiusmodi uapor fit suarum ui causarum potentißimus, nec scire tu poteris quando scilicet hoc fiat. Et licet uno in tempore talis non adsit dispositio, est tamen futura in alio.

Quo pacto & quales temperaturas pestis ex contagio feriat ocyßime.

Cap. 3.

VEnenosus iste uapor adeò subtilis sæpenumero existit, ut uisu dijudicari nequeat: interdumq; dissoluitur. sed facile ex inde regeneratur, manẽte ad hoc ipsum disponente, influentia: iamq; tametsi pusillus à principio fuerit, tamen multo magis quàm sulphur, cum accenditur, uelocioriq; cursu de loco in locum expãditur, & longe magis contrariatur uitali cordis spiritui, qui est uapor ex subtili sanguine, quàm sulphur naso. Eiuscemodi uapor solum in dispositis ad hoc corporibus infecto ab aere accenditur: sed postquàm est accensus, corporibus mira uelocitate facilitateq;, accensum ueluti sulphur, plus quàm antea circumquaque dilatatur, præsertim quando subtili in humore, & tenui æstatis aere accensus fuerit, et spargitur, salitq; ea ex uno in alterum corpus. Accẽditúr que potißime ubi maior est naturæ similitudo, & in corpore recrementis pleno, cum fœtidis intus & extra uaporibus, & in cibis humoribúsque superfluis, & ad inflammationem putredinémque aptis: & ubi calida est materia, & humida, corúe coitu debilitatum. Et pariter

in corpore paßionibus animæ defatigato, & ultra modũ calido, quodúe balneis eſt aſſuetũ, cuiúſue pori ſint nimis patentes, ſeu multũ opitulati. Hæc quidem Gal. & Auic. fuit ſentẽtia. Pueri & fœminæ multũ ad peſtem ſunt apti, eò quòd tenuis mollisq; materia ad tranſmutationem eſt facilior, & pleni ſunt humoribus ad putredinẽ aptis, eſtq; præter modum & ordinem illorum uita. Quemadmodũ enim perturbat confunditq; uinum calidus uentus & groſſus, ſic peſtifer iſte uapor inficit cogitq; circumquaq; ad cor: primo ſpiritus, poſtmodum humores, qui iam putrefacti ebulliunt. Eſt uerò hæc ebullitio febris ipſa, quæ per uniuerſum inde ſpargitur: pluſquàm cæteræ bullit ſeu inflat: quia tanta eſt uenenoſa materia, ut natura quantũ poteſt principalibus à membris hanc ſtatim conetur expellere. Iſte quidem uapor omnem maculare poteſt humorem, ſed potißimum ſanguinem, ſecundo choleram, tertio phlegma, quarto uerò melancholiã. Vnde fit quòd magis huic ſubijciuntur periculo ſanguinei, paulo minus cholerici, poſtmodum phlegmatici: & minus reliquis melancholici, quia frigidus & ſiccus humor ad inflammationem & putredinẽ ineptus eſt, & maxime quia ſtrictos habent meatus per quos tranſire uenenum oportet. Idcirco ſenes minus ſunt peſtifero morbo obnoxij: licet huius annis peſtis nec ſeniores etiam reliquerit intentatos. Cuius fortè ratio fuit quod ultra cæteros ſyderum aſpectus, Saturnus retro gradus dominus fuerit anni. Eſt mirum dictu, quòd, licet ex urbe noſtra Florentina uniuerſus fermè populus auſugerit, omni tamen die uita functi ſunt circiter centum & quinquaginta.

Pueros & fœmĩas pe rimum.

Senes pe= nus o bnoxij.

Peſtis Flo rentiæ ma gna.

De ſignis indicijſq; peſtis. Cap. 4.

QVæ uerò signa indicent, quibus febrẽ esse pestilentialẽ faciliter & clare deprehendatur, haud tam facile ostendere quisquam potest, propter tam multiplicem accidentium diuersitatem & fallaciam. Hoc. n. testatur uniuersus doctorum cõuentus, præsertim Auenzoar & Rasis. Erit nanq; clara interdum urina, eò quod non pertingent ad hepar humores: apparebit modica febris, eo quòd non erit calido in humore uenenum, séque propterea non diffundit ad extra: sic statim morietur patiens. Videbitur interdũ restitutus, eò quòd natura primo in aggressu uenenum à corde depulerit: tamen paulò post destituetur spiritu, eò quòd potens nõ erit secundum pellendi aggressum. Ex quo primo lassata fuerit cõflictu, etiam quia uenenum multiplicatum est, uel magis mutatum in malignũ, uel propinquius factum cordi quã prius.

Peste laborantes cur sibi sani uideantur.

Omnes ferè in principio aliquantulum in melius tendere uidentur, quia tum robustior natura tantum cõtra hostem omnes colligit uires: uerum in alijs mìnus malis ægritudinibus, ad tam repentinum tantumq; non inducitur conatum. Videbitur præterea uirtutis robur obtinere, quia dictum uenenum non alijs ut cordi membris à principio cõtrarium est, & quando ipsum cor aggreditur statim interimit. Quare his in tẽporibus haud quaquã conuenit morbi signa examinando moram trahere, quia falleris, nec te natura expectabit, nisi administrando remedia festinaueris. Hac igitur de causa his cum temporibus febrem adesse cõspexeris, præsuppone quòd adsit, uel citò futura esse possit pestis, ac ei pestilentialis curam febris administra, & eò maximè quòd quãdiu uenenosa durat aeris influẽtia oĩs superfluus humor facile inficitur: Et omnis quæcunq;

fuerit infirmitas, in peſtilentiam facile tranſire poterit, Febres præſertim furioſæ & continuæ. Vnde cõiter euenire ſolet, quòd hoc morboſo tẽpore nulla præter peſtem ægritudo appareat. Quòd ſi aliæ & multiplices quidẽ apparuerint ægritudines, tũc peſtilẽtia remittitur & ceſſat. Sũt nonnulla peſtilentialis febris ſigna, uidelicet febris continua abſq; ordinata & manifeſta declinatione, cum magna anhelitus & pectoris anguſtia, cum repentina pulſus debilitate, cum uniuerſi corporis grauamine, præcipue capitis, phreneſi, anxietatibus, ardore, ſiti, ſanguineis maculis pluribus in locis: cum urina groſſa, turbida, & qualis eſt iumentorum. Memineris tamen quòd ſigna fallunt. Aduerte inſuper, quod quicunq; puer eo tempore uermium laborarit infirmitate, dici poterit peſtilentia infectus, quia eſt materia ad peſtem diſpoſita, ut ſulphur ad ignem. Hoc multi neſcientes medici, iuuandi ſtudio poſt ſunt fraudati. Et ex ſignis propinquæ peſtis ultra aeris turbiditatem, et animalium ex putredine genitorum abundantiam, eſt principaliter uermium multitudo, uariolarum & morbillorũ, febriumq; continuarum & concluſarum, urinæ turbidæ, oculorũ rubores, excoriationes palati, phreneſis, & uniuerſaliter quacunque in febre, qua ſe uerſus cor frequẽter dirigit humor, humanam ſignificat complexionem ad peſtem eſſe diſpoſitam. Scias iterum quando multo tempore peſtifer uapor in aere durat, tunc aquam terræq; fructus inficit: propterea tutius eſt aquam decoquere, uel ferratã ſcilicet aquam conficere, cum eaq; uinum lymphare, quia uinum fumoſum eſt, & non conuenit iuxta Auicennæ & Raſis ſententiam his in temporibus merum, utpote purũ. Opportunum præterea alia quæ ſumuntur in cibum re-

Signa peſtilentialis febris.

bus boni odoris corigere, & cum salsis acetosisue saporibus, præsertim quando pestis post terræ motum oritur. Præstiterit quoque non parum rebus uti aridis, in odoriferis & editis locis nascentibus, & inhabitare montes & colles.

Prophylactica cura à diæta & uictus ratione in statu pestilentiali. Cap. 5.

ABstinendum est tempore pestifero à rebus inflammantibus & nimis aperitiuis, quia facilius ad uenenum suscipiendum disponunt. Videlicet cauendum est extrà à solari calore, pariter à calore ignis, uestimentorum: & intrò, à sale, à speciebus & medicinis calidis, similiter ab herbis intẽsæ caliditatis, à multo usu acrium, excepto cæpe & cichoria, uel raphano cum aceto, quia ueneno aduersantur. Item à uino nimium fumoso, ab exercitio post cibum, præsertim tempore calido: & à sudore, quia humores alterat: & in aere infecto non licet se multum aeri exponere, nec excessiuo sub diuo exercitio, quia calefaciendo & poros aperiendo, statim multum de aere suscipit infecto. Item abstinendum ab facientibus oppilationem & putrefactionem, quia pestilentialis dant febris materiam, qualia sunt uiscosa, frigida & humida: præsertim quando aliquid accidentalis seu extranei caloris suscipiunt. Etiam à uiscosis, calidis & humidis, ubi humidum calido prædominatur & male decoctum est: & ut summatim dicam, humiditas putrefactionis est mater. Et quæ extra nos difficulter conseruantur, etiã in nocẽt pisciculi, & qui ex flumine sunt claro, petroso, & cur

Vitanda quæ in peste.

Pisces uitã di in peste.

rẽte, frixi in oleo cum sale, & ĩmersi staphisagria seu aceto, aut succo aranciorum cum sale & modico piperis, uel cinnamomi. Etiam uitandũ est lac & omnia recocta. Qđ si eo uti uolueris, sit primum inter alia cibaria, & modica quãtitate, cum parũ sacchari. Fructus uitandi sunt omnes, exceptis amygdalis, cerasiis acetosis, pyris, chrysomelis, persicis, pomis cydonijs, auellanis, prunis siccis, prunellis, mespilis & cornulis, malis appijs, malis granatis, malatestis. Cæteris uerò fructibus nequaquàm utere, uel raro, uel rarißime. Poteris tamen diutius uti fructibus & herbis frigidis, siccis & acetosis, uel aliquantulum amaricantibus. Sed utendo fructibus calidis & humidis, ut sunt ficus, uua, mora, cerasa dulcia, fac sint modica, & immediatè post comede pomum anaranciæ cum sale. Præterea si uteris frigidis & humidis, ut sunt melones, pisces molles & teneri, pruna pinguia, sume paulo post aliquid fœniculi, & pomi anaranciæ cum sale suprabibendo parũ uini boni & odoriferi. Vitare etiã debes, fungos et herbas humidas, portulacas, cucurbitã, et oẽm humiditatem, necnon et rẽ quæ facilis est putrefactionis. Cauebis quoq; fructus & res nimium dulces & humidas herbas: permitto tibi lactucam permistam mẽthæ uel cinnamomo. Eãdẽ quoq; corrigere poteris cum basilicõe, chariophylato minutißimo & quasi ad rubedinem quandam tendente, odorem habẽte chariophylorum: est enim cordi gratißimum. Concedo etiam tibi cucurbitam, & herbam, quæ Tusca Rasis cãlĩgua Selbastrella appellatur. Rursus aduerte, ne te Rasis nõ. sentẽtia fallat, quæ tempore multum calido admittit olera et fructus frigidos et humidos, qa ægyptũ ipse ĩhabitabat ubi extrema est siccitas, ubi eiusmodi fructus et olera

sunt exquisite à natura decocta. Cautus igitur esto ne talem præsumas licentiam in regionibus nõ similibus Aegypto. Notandũ insuper quòd res acetosæ, asperæ & acres in conseruatiuo æque accuratiuo administrandæ sunt regiminæ, quia periculum potißimum imminet in calido & humido, & in putrefactione illinc dependente, in spiritũ resolutione, inq; accessione ueneni ad cor. Res itaq; prædicti saporis omnibus tam dictis obsistunt malis, quia refrigerant, desiccant, conseruant, confortant, restringunt, & uniunt. Operæpretium hic est meminisse, quòd res nimis acres, ubi timetur pectoris strictura, aut stomachi debilitas, temperandæ sunt cum saccharo, sale & lacte amygdalarum, cinnamomo, pipere, fœniculo, croco, ouis, & modico pinguedinis. Cõmendo plurimum panem speltæ, hordei, & fercula ex his condita. Item biscocta, risum, passulas tendentes ad acredinem, panem optimi grani sufficienter coctum, cum modico salis. Vtere sæpius capparibus cum aceto, & aliquando eo genere casei, quod Florentini Marcellinum uocant. Vitandus est caseus multũ pinguis uel salsus. Nec laudo tibi caules nec legumina, exceptis lẽticulis. Prohibeo super oĩa phaseolos, nec laudo multũ rapas spinachias. Concedo tibi petroselinum et pastinacas. Prohibeo autẽ erucam, cariotas, sapam, sinapi, citrulos, melones, bacellos, cicer recens, cucumeres, cerasia dulcia & mollia, uuas, ficus dulces & mora. Nec te repleto nimio uino, carnibus et ouis, ne nimium sanguinem, choleram, putrefactionẽ ĩflãmationẽq; multiplices. Vtere ouis cũ agresta et aceto et pomis anarancijs. Carnes sint leues & siccæ, bene coctæ, pulli, auiculæ, hœdi castrati, pipiones, turtures, et sylueſtres auiculæ. Si usus fueris carnibus humidis

humidis sint assatæ, sed fac ut intus per totum bene ĩplean
tur cum acribus condimentis & acetosis, cum modico pi
peris, cinnamomo, coriandro & sale. Vina turbida sunt
omnino noxia, & præsertim musta. Esto in cibo & potu Vina tur-
plus solito parcior: cibus sit aliquantum copiosior potu. bida noxia
Nec tamen uolo ut nimiam feras sitim & inediam. Caue
stomachum fastidire permittas, sed eum præserua cũ cibi
& potus mediocritate, cũ exercitio & ieiunio, cũ appro
priatis euacuationibus. Abstine à coitu et passionibus ani
mæ excessiuis, nisi fortsitan per coitus abstinentiam te om
nino grauatum perceperis. Ad mentẽ reuoca dictum Aui
cennæ tertio naturalium, quòd superflua per coitum semi
nis euacuatio plus nocet quàm si quadragesies tantum exi
ret sanguinis. Dixit Hippocrates, coitum specie esse quan
dam morbi epilepsiæ. Caue ab aere multum nubilo, dẽso,
recluso & humido: ac scias aerem qui non frequenter mo
uetur et ĩnouatur, ubi nec uẽtus, nec Sol penetrat, nec pur
gat, facile mistionẽ suscipere et putrefactionẽ uenenosam,
ueluti ĩmobilis aqua. Ab hominũ te turba semoueto, præ
sertim existens ieiunus, & qñ calidũ successerit humido, et
humidum calido. Declinato etiam aerem nimis calidum,
quia aperit & nimis debilitat. Habitatio tua sit spatiosa,
sicca aerem recipiens siccum continuo, & tẽpore æstatis
subinde recentem. Caue quando multum incalueris, ne te
protinus exponas frigido uel humido, nebuloso, & uento
calido & humido, præsertim in locis infectis, & de infe-
cto loco ueniente, etiam ab omni uento de prædictis locis
flante, nisi fuerit nimis lõge distãs, aut fractus pluuijs. Vẽ
tus aũt qui aerẽ infrigidat & siccat et serenat, sua natura
est salubris, si eũ cũ tẽperamento receperis: & est princi-

palis medicus contra huiusmodi uenenum. Magnam adhi be curam uitando uentos à stagnis uel paludibus uenientes: aquas fuge putridas herbas cõtinẽtes, ĩmaceratúmq; lignũ, & quẽcunq; prauũ odorem. Procul esto à cauliſt nucúmue odoribus, & fœtidis ab herbis. Abſtinendum item à balneis, à ſomno meridiano, ab adhærenti arctóq; hominum cõſortio. A turba fuge citò & procul, ac tarde reuertaris: quoniam lõgo durare ſolet tempore uenenũ, ad offendẽdũ perquàm proptiſſimũ. Vtere cibis ſiccis, optimi ſaporis, acribus, acetoſis, uitando brodium, pinguedinẽ, dulcia, uiſcoſa, uinis ſubtilibus, claris, odoriferis, aliquantulum fumoſis, ſed parum acetoſis, non dulcibus, dilutis aqua multum ſubtili & clara. Summa, omni tempore à rebus caue ſanguinem generantibus aut nimium, aut aquoſum, groſſum & turbidum, & pariter quamcunq; rem ſtomacho nocẽtem. Hæc eſt regula cibi potusq;. Vtilis eſt iudicio meo, omnibus ſuperſperſa cibarijs talis ſpecierum compoſitio. Accipe ſandalorum rubeorum unciam dimidiam, cinnamomi electi drachmas tres & dimidiã, croci drachmam dimidiam. Gentilis omni tẽpore his utitur ſpeciebus. Sume cinnamomi ſemunciam, mannæ drachmam unã & dimidiã, chariophilorũ, been albi & rubei drachmã dimidiam, corallorum rubeorum drachmã unam, cardamomi drachmas duas, croci drachmam dimidiam, ſacchari ad pondus omnium. Item nõnulli aliam habent deſcriptionem, & eſt talis: Cape margaritarum drachmas duas, corallorũ alborũ et rubeorum drachmam dimidiã, roſarum ſpodij ana ſcrupulum unum, cinnamomi drachmam unam, croci ſcrupulum unum. Item, Sume cinnamomi unciã dimidiam, chariophilorum drachmam dimidiã,

corallorũ rubeorum ſcrupulos duos, croci drachmam dimidiã, ſacchari ad pondus oĩm. Pro primo cibo utile eſt, niſi te calor offenderet. ſumere ficus, rutã, & nuces cũ ſale, præſertim tpe frigido uel humido. Notandũ quod ſpeciebus multũ calidis, ut eſt quarta compoſitio ex his quas narrauimus, utendũ eſt ſolũ in ferculis multũ humidis, frigidis & acetoſis, alijs uti uerò poſſumus in oĩbus. Poſt cibũ magno ſunt adiumento ſemina coriandri præparati, et etiam ſecundum Auic. ieiuno ſtomacho, qui hæc ipſa tali in cauſa plurimis effert laudibus. Vtere ieiuno ſtomacho frictionibus, bene pectina capillos, oẽm expurga ſuperfluitatem, uniuerſum corpus mundũ conſerua. Matutino tpe ignem præpara temperatũ, & interdiu quandoq;, præſertim humidis tpibus. Bonis ſæpius odoribus domum ſuffumigato ſimiliter & ueſtimenta. Admoueas naſo pariter, et ore teneas ubi plus opportunũ fuerit, aliquid theriacæ: alijs uerò in locis ſiue tẽporibus, corticem citri, zedoariã, uel modicum thuris: manu etiam ſupradictum geſtare poteris cedrinum pomum. Cape ladani drach. unam, been albi & rubei, roſarum rubearũ ana drach. duas, ſtyracis liquidæ ſcrupulum unum, myrrhæ, menthæ, chariophilorũ ana drach. unam, ſandalorum alborum & rubrorum camphoræ ana drach. dimidiam. Fac pomum cum aqua roſarum muſcata, ſuſpende collo cornu unicornis, hyacinthũ, topazium, & ſmaragdum, ut pectus tangat, & etiam in ore. Dixit Auicenna, ſore neceſſarium ut hyacinthus & ſimilia, à naturali calore noſtro calefiant, qui illorum ad actuum producat uirtutes, ut operentur in nobis. Fer tecum etiam in manu ad odorandum poma odorifera, præſertim citri, limonum, aranciorum, & cætera.

Sæpius ablue os, faciem & manus aceto, & aliquando cum uino potenti: Nec omittas odorem mentæ, meliſſæ, querculæ, rutæ, uiolarum rubearum, & myrti. Vtere odoribus frigidis, quos tēpera cum calidis, ita tamen ut frigidi prædominentur, præſertim calidis temporibus, quia calidus per ſe aperit odor & inflāmat, quanuis aerē purget. Super oĩa cura, ut hoc facias. ſ. permiſce æquali parte acetum roſatum album, & aquam roſarum cũ uino albo potenti, cũ modico zedoariæ uel corticis citri: de qua ſæpius modicum aliquid bibe, & ſæpius cum ea manus lauato et faciem. Defert tecum in ſpongia cum ligno fraxini, & laua etiam cum eiſdem manè & ſerò tepidis uniuerſum corpus. Vtere temperato exercitio ſub tecto quando es in locis infectis, ieiuno ſtomacho, ſitq́e locus exercitij ſpatioſus: alijs autem in locis factes exercitium ſub diuo & pariter ieiunus. Ruſtici bibant loco uini acetum permiſtum aquæ. Admoneo omnes, ut non niſi ſumma cũ cautela res tangant ex infectis locis allatas, nec quicquam guſtent ex illis niſi coquatur, mundetur, uel abluatur. Haud equidem ſcio an dicere in præſentia debeam, an ſilentio potius præterire, quòd Doctorum nonnulli ſæpius ieiuno ſtomacho dare ſolent in potu urinam pueri recens emiſſam, uel lixiuium. Detur pro remedio ruſticis accommodato.

Præſeruatrix curatio Epidemiæ. De pilulis & pulueribus præſeruatiuis. Cap. 6.

NEceſſaria nobis eſt bis in hebdomada, ipſa omnium compoſitionum regina, cœlitúſque tradita theriaca. Vera quidem theriaca, ut eam noſcas, ſaporem longa mora in ore conſeruat, & ſtypticitatem ingerit uentri: ætatis eſſe debet annorum quatuor, & non

ultra duodecim: de ea debet antea fieri experientia in uene natis animalibus. Theriaca electa iuxta Gal. Auic. Auerroisque sententias, securum reddit hominem ab omni ueneno, morbóq; uenefico. Etiam in ipsa pestilentiali febre admittitur. Dixit Gal. se inuenire theriacam plusquã res omnes esse diuinã in conseruando & curando. Dixit Moses Aegyptius, mirabilem factam esse cum ea experientiã in pestilentia Antiochensi. Nec silentio transeundum puto Gal. typum dicentis: Pestem esse draconem cum corpore aereo, qui uenenum contra hominem spirat: & theriacam purgatorium quoddam esse, purgans uenenũ & draconem domans. Accipiatur post cibũ horis nouem, & ante cibum horis sex uel septẽ. Qui eam sumere non potest, saltẽ cordi apponat & stomacho nasóq;, & pulsibus: frequentius detur drachma una prouectis, alijs uerò drachma dimidia, seu scrupulus unus. Qui calidæ sunt temperaturæ, bibant æstiuo tẽpore sumpta theriaca tertiam partẽ scyphi aquæ rosarũ cum modico aceti rosati: alij. s. alterius complexionis, & alio tempore, sumant cũ uino albo permisto cum aqua scabiosæ & melissæ. Quòd si theriaca nõ affuerit, uel non cõpetens fuerit tuæ naturæ, sume mithridatũ. In alijs diebus hebdomadæ sume pilulas contra morbum saltem horas quatuor uel quinq; ante cibum, unam. s. aut duas uel plus, secundum complexionem, superbibendo parum de uino albo cum aqua scabiosæ & melissæ temporibus frigidis: uel cum aqua rosæ, & cum aceto rosato tẽporibus æstiuis. Pilulæ antiquiores sunt istæ: Sume myrrhæ, croci, ana unciam unam, aloes uncias duas, sed quia nimium aperiunt, calefaciunt, resoluúntque spiritus, ideò nonnulli abluunt ipsum aloe, & addunt terram sigilla-

Theriacæ efficacia.

Epidemiæ præseruatrix.

Theriacæ probæ indicia.

tam, uel bolum armenum secundū dosim myrrhæ, uel addunt camphoræ ad dosim tertiæ partis myrrhæ, sed eligibilius est bolus armenus. Nōnulli componunt sic: Accipe aloes drach sex, myrrhæ drach. tres, seminum citri scrupulos duos, tormentillæ drach. dimidiā, croci drach. unā, reubarbari drach. duas, chariophilorum scrupulum unū, agarici, corticum citri, sandalorum rubeorum ana drach. unam, seminum citri scrupulos duos, seminis acetosæ drachmam unam cum dimidia, corallorum rubeorum drach. unam cum dimidia, boli armeni drach. tres, cāphoræ grana duo, confice cum syrupo de citro. Auic. & Auerrois dicunt, qui utitur aloe, myrrha & croco, nunquam periclitabitur peste. Prædictæ compositiones temperant illorum qualitatem, & uirtutem augent. Sed multo melior est compositio Nicoli, secundum quem ueræ pilulæ sunt istæ:

Pilulæ Nicoli.

Sume myrrhæ, croci, boli armeni, charabæ, corallorū rubeorum ana drachmam unam, emblicorum drach. duas, aloes loti ad pondus omnium, fient pilulæ cum uino albo, odorifero. Credo quòd essent nobiliores, et magis ad propositū, si loco emblicorū ponerētur terræ sigillatæ drachmæ duæ, & boli armeni drachmæ tres, fiant pilulæ cum acetositate citri, & accipiantur cum uino albo, aqua rosata, aceto rosato. In alijs uerò sequatur compositionē præfatam. Fac autē ut aloe sit splendidum, leue, aliqualiter rubescens, delicatum, odoriferum, frangibile, pinguescens, & immittendo super ipsum flatum, madescit. Sit & myrrha clara, & corallus delicatus, absque theriaca & dictis pilulis non bene fieri poterit præseruatio. Itaq; præ omnibus alijs utere duobus prædictis, scilicet theriaca, duobus diebus diuersis, & pilulis tribus saltem, quia desiccando

humiditatem præseruant à putrefactione. Etiam fortificãt cor, stringunt meatus, ne uenenum trãsitũ habeat ad cor, & ipsum illinc depellunt. Videtur mihi quòd aloe in prædictis pilulis, quando sunt tempora humida & frigida, si militer & complexio, nõ debet lauari, sed in alijs temporibus & complexionibus sumere pilularum compositionẽ in pulueribus, melius est solum quando opus est festinatione. Potest etiam sumi ante cœnã tribus horis uel quatuor, sicut etiam ante prandium. Poteris etiam semel in hebdomada, uel duabus uicibus aut plus, quando pilulæ offenderent (licet nullius sint offensionis) in tempore hyemali et humido, loco pilularum sumere ficum siccum cum dimidio nucis, cum modico rutæ & parum salis, superbibẽdo parum aquæ rosarum uel aceti rosati. Quòd si & istud te offenderet, utere loco illius nõ accipiẽdo aliquid aliud, parum panis tosti intincti in uino albo potente, cum pomo anaranciæ madefacto in aceto rosato, et intincto cinnamomo. Sunt nonnulli qui dant huiusmodi pilulas sero uel mane, unam scilicet pro uice. Sume ligni aloes drachmam dimidiam, tormentillæ scrupulos duos, dictami albi scrupulum unum, zedoariæ drachmam dimidiam, croci drachmam unam, berberis drachmã dimidiam, cornu cerui adusti scrupulos duos, sandalorum rubeorum scrupulũ unũ, seminis acetosæ & corallorum rubeorũ, boli armeni ana drachmam unam, camphoræ scrupulos duos, gemmarum ex quibus fit electuarium de gemmis, drachmam dimidiam, margaritarum drachmã unam, hyacinthorũ drachmam dimidiã, confice cum syrupo de ribes, uel de limonibus. Ego aũt in omni tempore etiam in calido, eiusmodi pilulas dare soleo. Sume zedoariæ, ligni aloes, agrimo- Pilulæ Marsilij

mæ,croci,aristolochiæ rotũdæ, dictami albi,gẽtianæ, cortícum citri,seminis citri ana scrupulum unũ,coriãdri præparati,tormentillæ,sandalorum rubeorum,corallorũ rubeorum,rosarum rubearum,spodij,emblicorũ ana drachmam unam, terræ sigillatæ drachmas duas, boli armeni drachmas quatuor,fac pilulas cum acetositate citri, quas administra cum uino albo,aceto rosato albo,& aqua rosæ.Ego multũ adhibeo fidei huic nostræ cõpositioni,eam accipendo quando nõ sumitur aliquid de pilulis cum aloe compositis.Etiam post operationem prædictarum pilularum,additur ipsi compositioni,ambræ,musci,hyacinthi, smaragdi,topazij,margaritarũ,cornu unicorni ana scrupulus unus.Melius, etiam erit laudabile multum, bibere ista cum uino acetosa,uel aceto albo,cum aqua rosæ terra sigillata et bolo armeno, cum exigua portione smaragdi, & hyacinthi,& topazij,uel saltẽ cũ margaritis et corallis.Ista multũ cõmendantur à Galeno et Auenzoar. Alij dant cortices & semina citri, et limonum, cũ uino uel aceto rosato & aqua rosarum.Ego uerò frequenter dare soleo hanc simplicem confectionem,et quidem efficaciſsimã atq; securam,cum uino albo, uel aceto rosato & aqua rosarũ.Accipe boli armeni drachmas duas,terræ sigillatæ, corallorũ rubeorũ ana drachmã unam,corticum citri,zedoariæ,croci ana drachmã dimidiam, sacchari rosati ex rubeis rosis cõditi uncias sex,acetositatis citri uncias decem.fac electuarium.Raimundus & Arnoldus, theriales quasdã pilulas tribus modis cõponũt.Prĩo, sume boli armẽi drachmas tres,barbæ tormẽtillæ drachmas duas, barbæ,herbæ tunici drachmã,unã, sacchari ad põdus omniũ.fac pilulas. Itẽ,sume ambræ drachmam dimidiã,mu-

Pilulæ theriales

ſci ſcupulum unum, camphoræ grana ſex. Itẽ, accipe ſmaragdi, hyacinthi, topazij ana partes æquales, triturentur & lauentur ſicut abluit Meſue lapidem lazuli, fac pilulas cum ſucco acetoſellæ. Dicunt huiuſmodi lapides ab antiquis appellari Bezoar, id eſt liberatores mortis, & quod in hoc theriacam excellũt quod ipſa uenenum à ſe pellit, non trahit ad ſe, huiuſmodi autem lapides utrũq; faciunt, ideò debent per os adminiſtrari. Etiam poſſunt ſuperponi plagæ, morſuræ, & bullæ uenenoſæ. Hac etiam utũtur cõ poſitione, ſcilicet auri optimi, margaritarum, ſerici crudi triti. Laudant etiam electuarium diambræ, de gemmis et chermes Meſue: laudant granata, rubinos, carbunculos, ſapphiros, palladios, corallos, grana tinctorum, & lapidem inuentum in capite aſpidis, & pariter cornu ſuum, & cornu unicorni. Item electuarium lætificans Almanſoris cum re aliqua refrigeratiua. Vtere etiam rebus ſanguinem clarificantibus, ut ſunt lupuli, myrobalani, fumus terræ. Credo quod uti ſemine iuniperi cum ſemine myrti ſit multũ utile contra huiuſmodi uenenũ. Itẽ tale electuariũ: Sume citrum unum integrum, maceretur bene, & coquatur cum ſaccharo & aqua roſarum. Et ubi non habetur citrus, fac cum limone ſeu pomo anarancio integro: multi utuntur uerbena. Sum dare ſolitus pauperibus parum panis bene toſti, intincti aceto cum modico rutæ, et aliqñ cũ cepæ portiuncula. Do etiam nonnunquàm ad ſuperbibendã parũ uini puri. Item eiuſcemodi panẽ toſtum intinctũ aceto roſato cum pauculo cinnamomi, quandoq; ſuperſumendo pomũ arancium, & parum boni uini. De his quidẽ rebus adminiſtrare poteris, modo unam, modo alterã, his ſcilicet diebus quibus theriacam non ſumis, nec ueras

Lapides Bezoar theriacam excellunt

pilulas, uel etiam illis eisdē diebus post ueſperas. Vti etiā poteris ſero, ieiuno ſtomacho, parum iſtius noſtræ confectionis: Cape ſacchari roſati, diama renati ana uncias quatuor, coriādrorum præparatorum, corallorum rubeorū ana drachmam unam, cinnamomi drachmas duas. ſed æſtiuo tempore drachmam unam ſandalorum rub. croci ana drachmam dimidiam, uerum in æſtate croci ſcrupulū unū confice cum acetoſitatis citri uncijs quatuor, ſupbibe parum uini optimi, uel aceti roſati. Poteris etiam uti eo matutino tempore aliquando loco prædictarum. Dixit Raimundus, quòd ſuo tempore iuncti fuerunt Saturnus, Iuppiter & Mars in undeuigeſimo gradu Aquarij, anni milleſimi tricenteſimi quadragemioctaui, in menſe Martio, quæ quidem cōiunctio horribilia ſignificabat, præſertim graues peſtilentias frequentius per ſpatium annorum quadraginta quinq;, eò quòd fuerit in ſigno humano fixo in domo Saturni. Inter quas erat peſtilentia illa anni quadrageſimioctaui, ubi Medici Pariſienſes & ex Auinione, & Pedimontani nouam cōpoſuerunt theriacam ab ipſis expertam, & cum felicitate eos conſeruauit. Arnoldus Receptam conſcripſit, quam Raimundus eiuſdem diſcipulus his uerbis recitauit: Sume ſeminis iunipi drachmas duas, cum dimidia, chariophylorum, macis, nucis muſcatæ, zedoarij, zinziberis ana drachmas duas, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, barbæ gentianæ, tormentillæ, barbæ herbæ tunici, dictami, inulæ campanæ ana drachmā unā cū dimidia, ſaluiæ, rutæ, ſeminis balſamitæ, mentæ, pæoniæ, pulegij ceruini ana drachmam unam, doronici Romani, baccarum lauri, ſeminis acetoſæ, ſeminis cetri, baſiliconis, maſticis, thuris, boli armeni, terræ ſigillatæ, ſpodij,

oßis de corde cerui, raſuræ eboris, et cornu unicorni, margaritarum, ſapphiri, ſmaragdi, corallorũ rubeorum, ligni aloes, ſandalorum rubeorum, hyacinthi, topazij ana drachmã dimidiam, ſacchari roſati, diaboraginati, diabugloſſati, dianenufrati, diaacetoſellati, pulparũ tamarindi aceroſi, theriacæ ana drachmã dimidiã, ſacchari libras tres, fac electuarium aut morſellos, cum aqua ſcabioſæ & roſata parum camphorata, & cum uino cydoniorum, addendo folia auri quadraginta. Qui ſitim patitur extra cibum, utatur acetoſa ſimplici cum pauxillo aquæ frigidæ, uel uini mali granati acetoſi cum iuleb roſato, uel uino acetoſo. Poßis etiam exprimere acetoſitatem citri uel limonis, uel pomi anarancij, & bibere cum aqua & ſaccharo. Item ſucci roſarum, ſacchari roſati, diamarenati, diaprunis, diacydonitis diſſoluti cum aqua colata & expreſſa, bibendo cum aqua frigida. Item roſæ, myrobalani, tamarindi, ceraſa acetoſa, pruna perſica ſicca, cydonia trita, diſſoluta, colata, & expreſſa, bibe cũ aqua & ſaccharo, ponendo plus de ſaccharo ubi minus eſt de calido, & minus de ſaccharo ubi plus fuerit de calido. Item ſuccus roſarum cum uino granatorum: item oxyſacchara cum aqua frigida recenti. In pluribus etiam rebus proficuum eſt uinum cydoniorum. Vti uerbis cor ipſum ſua uirtute reſpicientibus, utile eſt, ut ſunt borago, bugloſſa, meliſſa, endiuia, ac menthæ parũ. Itẽ ſeptem principales herbæ quas contra uenenum plurimum ualere fertur, quarum prima eſt herba hypericon, alio nomine Perforata: ſecunda eſt herba dicta uincetoxicon, tertia enula, quarta raphanus, quin dictamus, ſexta ariſtolochia, ſeptima lactucella His additur ab Arnoldo & Raimundo herba tunici. Nec præ-

Septẽ herbæ principales contra uenenũ

termittẽda eſt agrimonia, acetoſella, cichoria, marrubiũ, hyſſopus, ſcabioſa, pẽtaphyllon, capparis, limones, citruli, arancij. ſ. quos poma aurea uocamus: & uniuerſaliter cuncta acetoſa, & quæ ponticitatem quandã participant. Scias floſculos uitis multum conferre, ſi eis in cibo & potu atq; electuarijs uti cõſueſcas: pariter & aqua ſcabioſæ, nec non meliſſæ, in his omnibus quæ ſanis ſimul & infirmis adminiſtrãtur mirabilis eſt, eò quòd humiditates exiccet uenenoſas. Et ubi in deſiccando refrigeratione multa opus ſit, utendum potius eſt aquis endiuiæ, roſarum, plantaginis, aceto roſato, uel aqua, uel ſucco acetoſellæ, ſucco limonum, cedri, aranciorum, cichoriæ, pimpinellæ, fumi terræ. Cum uerò temperatis uti oportet, accipe aquã boraginis & bugloſſæ, ſingulis decoctionibus impone pruna damaſcena, myrobalanos, & tamarindos. Et hoc memori ſerua mente, quod cunctis in remedijs quàm bene cõueniunt hæc quatuor, uidelicet uinũ album, acetum albũ roſatum, aqua roſata, omnia æquali pondere, crocus pauxillula quantitate. Vbi abſq; mora cum facilitate quadam operari neceſſe fuerit, adminiſtrabis quæ opportuna ſunt in forma ſubtili & liquida, uel ad ſuprabibendũ dato quæ prædiximus. Inquit Raimundus, quòd ſi tãdiu differri poteſt ut præmemoratarum fiat compoſitio pilularum, melius eſſe ut exhibeantur pilulæ quàm pulueres, tũ quia huiuſcemodi compoſitio melius fermentata eſt, qua quidem fermentatione ultra cõplexionalem, ſpecificam quoq; contrahit uirtutẽ: tum quia permanẽdo in ſtomacho magẽ cõſeruat, roborat, cõfortat, ac melius diſcurrit per corporis remotiora, ſuprabibendo parum alicuius liquidæ ſubſtantiæ, & multum abſtinendo. Nec tamen ideò uolumus ut

pilulæ sint ualdæ siccæ ac induratæ, imò si tales fuerint, de cet ut reformentur. Congruit sanguineis phlebotomia ex trahere sanguinem, ut conseruentur, si alias nullum ex se fluxum sanguinis haberent. Sanguineos eos intelligo qui decenter carnosi, calore rubei sunt, pilosi, robusti, quibus uenæ amplæ, & qui rebus uescuntur multi nutrimẽti. His inquam extrahatur sanguis ex basilica dextra, inde post bimestre spatiũ fiat iterũ minutio ex basilica sinistra. Nec una pro uice excedas pondus libræ. Fiat etiã temporibus anni temperatis, ac luna in bono & fortunato aspectu existente. Sanguis purus minuitur oriente Sole, cholericus in meridie, melancholicus in occasu, phlegmaticus in medio noctis. Vult ideò Raimundus, ut iuxta ordinem Auic. secundum quatuor species sanguineis prænumeratas, obseruentur in extrahendo illæ quatuor horæ. Cognoscũtur autem hæ species: primo per earundem signa, deinde iuxta quatuor ætates quibus dominãtur, succedẽdo ordine prædicto. Et ubi non apparuerit multa sanguinis abundantia, uult ne penitus minutio fiat, nec causa conseruationis, nec curæ. Et cũ extrahere uolueris, cura ut die præcedẽti fiat clysture, & exhibita sit aliqua medicina non solutiua. Nec prætermittendum duco, quòd ubi sanguis ad alios multũ declinat humores, minime sit euacuandũ. Memineris Galenum & Auicennam, quanto magis medendi artem exercuere tanto semper timidiores erga phlebotomiam esse factos, eò quòd plus trahit phlebotomia ex naturali & bono, & ex spiritibus, quàm ipsa medicina: ac minus temporis concedit ad discernendum malum sanguinem à bono. Conferunt infantibus & pueris ea quæ contra uermes ualent, quorum his potissimum temporibus immi-

net periculum, administrato illis in potu semel in hebdomada dictami drach. unam, cum uino aliqualiter stiptico, siue cum uino decoctionis ab synthij & nigellæ, aut seminis sancti. Illiniatur item stomachus, umbilicus, gula & pectus, oleis herbisq; amaris & huiusmodi: quandoq; etiam exhibebis pilulas de reubarbaro. Verũ quia multũ humida cõplexio, multumq; calida periculosa est tempore pestis, opus est refrigeratione, desiccatione, & frequẽti euacuatione, quæ quidem secundum opportunitatem cum moderamine fiant. Hunc defer sacculũ cordi applicatũ: Sume rosarum rubearum drach. duas sandalorũ rub. coralliorũ rubro. spodij ana drach. unam, zedoariæ, ligni aloes, cinnamomi, chariophilorum, corticum citri, croci ana drac. dimidiam. Esto diligẽs ut omnis expurgetur superfluitas, ac cura ne stypticus maneat uenter, sisq; tardus ad solitas constringendum expurgationes, uel fluxus, siue superfluitates, hæmorrhoides, scabies, naturales solitosq; sudores, plagas ueteres apertas, quibus sine molestia profluit humor, lachrymæ, sanguinem è naribus fluentem, solitum et ordinarium, uniuersales guttas & huiusmodi, quoniam hæc dicta expurgamenta securiorem reddunt à morbo. Admoneo rerum publicarum gubernatores, secundum Hyppocratis experientiam, si fecerint ac ordinauerint ignes & fumigia ex iunipero, myrto, terebinthina, & thure, manè & serò ante posticas quarumque ædium, domuum, & habitationum, statim expelleretur ab eo loco pestis. Valet loco iuniperi laurus, saluia, rosmarinus, & herbarum quicquid est odoriferarum. At terebinthina mirabilis est. Multi doctorum dicunt, ignem semper fore tempore pestis utilem, eò quòd omnẽ dissoluit uaporem.

Inquit Raimundus utendum esse confortantibus solum, cũ grossi apparent uapores & humidi. Calidis temporibus superare debent odores in frigiditate alios ė diuerso cum tempora frigida sint & humida, rosæ, sandali, myrtus, camphora, cortices pomorum, mala granata, calidos con temperant odores: similiter acetũ, & uirides herbulæ frigidiusculæ. Consuluere Magi Persarum regi pro sui defensione ab omni ueneno morboq; uenefico, sculpi faceret in lapide Hæmatite hominem flexis genibus stantem, cinctum serpente, dextra eius caput, læua caudam serpentis tenentem, & imprimi ligariq; faceret hunc lapidem in anulo aureo: uerum lapidi in loco capsulæ supponi barbã serpentariæ, quẽ quidem anulũ gestaret in digito: Laudat Auerrois hircinæ odoramentũ urinæ: Moneo ut cõtinuis utaris remedijs cũ fueris in loco infecto uel propė, eò qd' cuntagio frequens est infectusq; aer cõtinue noxius offendit. Volo diligenter aduertas, cum fuerit coniunctio Solis et Lunæ, cumq; oppositio, id est, quando est plenilunium. Item quando coniungitur Luna Saturno, & magis quando coniungitur Marti. Item cum fuerit in quadra cum dictis planetis. Et nota (ut refert Rasis) fortiter moueri solet uenenum huiusmodi pestilentiæ in Solis ortu, in occasu, in meridie, & medio noctis, quia Sol quatuor his uicibus mutationẽ causat in aere. Regnat in uere, in æstate magis plus in autumno. In uere est aer calidus & humidus, & accedit sanguinis dominium. In æstate cholera calidus aer multũ aperit & penetrat, debilitantur corpora, rebus replẽtur corruptibilibus, materiã humidã, aeris caliditati in putredinẽ tribuentibus. Qui quidem color si tam intus q̃ extra cum siccitate foret, parum abesset, quemadmodũ

Hircinæ urinæ odoramentum

etiam haud multum nocet humidum cum aeris tum cõplexionis frigiditati adiũctum. Sed ualde periculosum est ubi calidum permistum fuerit, uel foris uel intus. Experimento compertum habuimus, quòd longa siccitas calido minuit tempore pestem: at frigido excitat, affert. Deniq; in autumno augmentatur fructuum repletio, ac corporum debilitas, aer tenuis est ob æstatem præcedẽtem uaporum facile susceptiuam, quos non resoluit propter caloris diminutionem, deinde nebulosus est ac uariabilis. Sæpenumero uentus adest grossus & humidus, excedit caliditas humiditatem, & frequenter aduenit augmentaturq; pororũ oppilatio propter aeris crebro post calidum præcedens frigiditatem. Sciendum etiam quòd cum pori ualde oppilati sunt, comprimunt putrescibilem ad intra materiam. E contrario cum plus æquo aperti, repente nimis uenenosum capiunt aerem, ita ut nonnunquam (maxime post sudorem uel coitum) paucis (ut gladius) occidit horis.

De modo curandi secundum rationem Physicam. Cap. 7.

IN pestilenti ali febre nõ expurgato ueneno, caue ne administres intus, nec ex extra res partium pectoris simpliciter aperitiuas, eò quod aditum præbẽt ueneno ad cor, & spiritibus uiã aperiunt exhalationis: sed ut inflammatio prohibeatur & putrefactio, utere subito aliquantulum infrigidantibus & multum desiccantibus. Roborant nanq; cor, & uias claudunt uersus ipsum tẽdẽtes, ne uenenũ ad illud perueniat. Pro parte etiã bene purgandus est humor, et spũs nutrimẽto sæpius recreãdi, & quæ cõtra uenenum ualent continue administra, id quidẽ sua natura cor petit. Quod si differas donec uenenũ eò peruenerit, fortasse

fortasse fieri poterit, ut partes cordis multũ inde constrin gantur, quas quidem denuo aperire quàm proficuũ, plus forte noxium periculosúmue esset. Igitur cum primum ca put omniáq; membra grauari simul adiũcta febre quispiã perceperit, uide ex signis ne mendacibus ambiguisq; fidẽ habeas, nec differas quousq; appareat inflatio uel bulla. Sed hæc cum emineant, eò citius quò poteris cõfestim inũ gas oleo de scorpionibus & theriaca, pulsus temporum, manuum & pedum, nares, occiput, gulam, pectus, & lo cum circa bullam et apostema si apparuerit. Vera olei cõ positio talis est. Sume olei oliuæ annorum quinquaginta uncias octo, imponas scorpiones numero quinquaginta, simul cũ oleo bulliant ita ut fundum petant, quod facias in æstate, & maximè mense Augusti, serua & utere: est enim mirabile cõtra uenena. Quod si stomachus cibo gra uatus fuerit, prouocandus est uomitus cum facilitate, cum aqua tepida, aceto, & oleo, etiam cum raphano, tentando etiã prouocationẽ cũ pẽna, et statim postea facias clystere. Et renouabis omni die maluarũ decoctionẽ et matris uio larũ, betæ, hordei, lactucæ, chamomillæ, mellis uiolati, sac chari rubei, uitelli unius oui, diasenæ uel casiæ unciã unã, succi rosarũ solutiui drachmas duas, salis cõmunis & olei uiolati quod satis est. Hoc facto, applicabis epithema cor di ex rebus cordialibus frigidiusculis à prædominio. Su me aquarũ rosarũ, buglossę, acetosellę, nẽufari ana drach mas duas, aquarũ melissæ, succi granatorũ medij saporis, acetositatis citri ana drachmam unam, succi cydoniorum unciam unam, sandalorum alborum rubeorũ et citrinorũ ana drachmas duas, spodij, rasuræ eboris, seminũ citri, se minis acetosæ ana drachmam dimidiã, granorũ tinctorũ

Olei de Scorpioni bus confe ctio

grana sex, camphoræ drachmam dimidiã, cõterantur bene omnia, & calefiant in uase uitreato puro. Post cum pãno de Grana temperate calido superponas pectori, singulis tribus horis ipsum renouando. Item pro stomacho hãc habeto in sacculo compositionem, ad uiuificãdum & roborandũ spiritus eius. Sume absinthij, mentæ ana manipulum unum, melissæ, acetosæ ana manipulum dimidium, rosarum rubearum unciam unam, corticum citri, risi ana drachmas tres, coriãdrorũ præparatorũ drachmas duas, corallorum rub. masticis, sandalorum rubeorũ ana drachmã unam, macis, foliorum chariophilorum ana drachmã dimidiam, nucum cupressi numero quatuor, cõponas cũ succo cydoniorum. Item sub brachijs hoc remedium administrabis: Sume rosarũ, florũ chamomillæ, meliloti, florũ myrti, nucum cypressi, sandalorum, omniũ in debita quantitate, bulliant in aqua cui intingatur spongia uel stupa, quæ postmodum exprimatur, & temperate calida applicetur, sæpiusq; renoua: Istud enim mirabile est.

Cucurbitularum usus, & curandi ratio per sanguinis missionem. Cap. 8.

His factis & debite, ut dictum est, administratis, si bulla uel signum in tibijs adhuc non apparuerit, duas confestim natibus uentosas applica, & duas pariter coxis à parte posteriori. Voluere ueteres ut post huiusmodi uentosarum depositionem fieret phlebotomia. Et si bulla uel signum solitum non apparuerit, fiat ex uena communi à parte dextra, ad prohibendum ne uenenum partes cordis attingat: & si etiam apparuerit huiusmodi signum uel bulla, eodem in latere extrahendus est sanguis, & hoc ne se extendat dilatétque uenenum

(ut semper solet) per oēs uenas ac corporis partes. Quod si circa aures apparuerit, uel collum, minuatur ex cephalica in parte qua signū, iuxta pollicem manus. Si sub axillis apparuerit, euacuetur hepatica in brachio eius partis in qua signū. Si in inguinibus, fiat phlebotomia ex saphena, hoc est sub talo pedis eiusdē lateris. Deniq; in uniuersali, quoties ab origine gulæ ad caput usq; huiusmodi signum appareat, fiat minutio ex cephalica in parte signi apparētis. Si ab ea parte usq; ad umblicum antè uel retro, fiat pariter phlebotomia ex hepatica. Si ab umblico infrà, debet minui saphena modo quo super. Et phlebotomandum est quàm citius fieri potest, saltem cum primo apparere incipit apostema. Intrepide autem bonam quātitatem extrahi facias, nisi patiens fortè modici fuerit sanguinis: extractis duabus uncijs uel circà, sistè paululum, ut dijudicari possit an bonus sit sanguis uel ne. Si malus: extrahere poteris copiosius: si bonus, parcius: In debilibus et sanguine nō multū abundantibus sufficit extractio duarū unciarū. At febrilis tpe rigoris id minime feceris. Patiens aūt cū fit sanguinis minutio, deguſtet uel ore teneat pomum anaranciæ et acetosa quæq;, naso, fronti, ac tēporum pulsibus acetum applicando: hic nāq; cōis phlebotomandi est modus. Fulgineus Gentilis plurimū laudat id quod iam dicemus, ut rē quampiā expertā. Si solitū apparens apostema uenerit circa spatulas, applicandæ sunt uētosæ ubi iunguntur ipsæ spatulæ: minutio aūt fiat ex mediana quæ dici solet cōmunis & nigra. Si apparuerit in collo uel capite, minuatur cephalica iuxta pollices manuum. Si sub uel dextro in brachio, phebotomādus est de uena pulmonis, inter medium & anularē eiusdem lateris digitum. Si circa brachium uel

latus sinistrũ, ex uena Saluatella inter dextræ manus paruum & anularẽ. Si in inguinibus uel in sinistro latere, ex uena Paralytica minutio fienda est inter poplitem pedis et & alium propinquum eodem in latere. Si appareat in tibia uel pede dextro, ex uena sic dicta Vena mulierum, so lent doctores Hispani & Catellani prima post factum cly stere uel saltem secunda die, facere phlebotomiam duabus interpolatis uicibus. In sanguineis robustis ac bonæ ætatis hominibus primo die sic faciunt: Primo extrahunt sanguinem in parte opposita, eò quòd humor in motu adhuc existat, nec iam ueneficus factus est. Si apostema sub brachio sinistro apparuerit, minuũt subitò à manu dextra uncias sex uel quatuor, uel ex cauilla pedis sinistri uncias tres. Post uerò horas sex uel octo recreato patiente atque quieto, extrahũt à sinistro brachio uncias sex uel quatuor aut tres iuxta compreßionẽ & uirtutem uenæ großioris, quoniã ea opportunius phlebotomiam expoſcere ſe monſtrat. E diuerſo faciunt ubi apoſtema in inguinibus appareat: primo quidẽ minuunt in brachio eiuſdẽ lateris, ſecundo in pede illius etiã eiuſdẽ partis ex Saphena. Verũ ſi patiẽs haud multũ robuſtus fuerit, nec ſanguine abundans, attamen naturalem habet decenter uigorẽ uirtutis q; conſtantiam, aut ſit ut iam exiſtat in fine ſecundi, uel in tertio die, cum iam ueriſimile ſit materiã ipſam ſuũ curſum motumq; cepiſſe, iámque ueneno infectam eſſe, euacuant uncias duas uel quatuor à latere apoſtematis, loco apoſtemati quàm ſit poßibile propinquiori. Si poſt aures extiterit, minuũt ex Cephalica eiuſdẽ lateris. Quod hæc ipſa haud ita facile cõprehendi poßit, fiat in Mediana uniuerſo corpori cõparticipãte. Quod ſi nec iſta pateat, fiat in manu

Hiſpanorum medicorũ ĩ ſanguinis miſſione modi.

eadem ex uena quæ est inter pollicem & indicem. Similiter autem faciunt à medio secundæ diei ad sequentes, ab initio ad medium secundi facerēt phlebotomiam ex parte oppositā, similiter à primo ad medium secundi. Si apostema est sub brachio, euacuādum ex uena eiusdem brachij, & ex uena cōmuni, uel saltem ex hepatica, aut eiusdē manus infra digitum medium & sibi adhærentem. Si in eodem prædicto tempore signū ipsum in inguinibus fuerit, incadis uenam sub eiusdē lateris genu, aut sub cauilla eiusdem pedis. Si signū uergit uersus nates, mitte sanguinem de großiori uena, & magis apparente in dorso pedis eiusdem lateris. Istorum quoq; modus est, quod citra secundæ dimidium diei, incipiunt ut plurimum in latere oppositō sanguinē extrahere, ultra uerò ut plurimum in contrariū. Nos aūt ad canōes nostros uniuersales accedamus. Quia eiuscemodi morbus uel est in ipso sanguine, uel in humoribus sanguine permistis: ideò mihi uidetur extrahēdū esse sanguinem omnibus, ab annis quatuordecim usq; ad sexaginta, ratus multo satius fore, ut uenenū quod per uenæ apertionē expiret, quā sanguinis effluxu magnopere cruciari. Extrahe ipsum iterata uice cum sex horarū intersti tio. Robustis autē corporibus & sanguine multū abundā tibus, extrahe ad summum libram unam: Mediocriter uero robustis, et mediocriter sanguineis ad usq; uncias octo: debilioribus autem cōstante pulsu, uncias quatuor uel tres siue duas aut saltem unam. Vbi uero dominiū cholera obtineat, nō excedat uncias extractio duas. Multi extrahere præcipiūt, quousq; non debilis, debilitetur. Hoc autē mihi minime placet, quandoquidem spiritus dissoluit. Vbi pulsus uacillat, nil prsus extrahēdū. Maior uerò mihi est cu-

ra prius appareat apostema, etiam postmodum prouocentur hæmorrhoides frictionibus factis cum rebus asperis, & succo ceparum, cum uentosis & scarificationibus & sanguisugis. Vbi sanguis abundat, facias idem post alterã uenæ sectionem. Vbi autem modicum fuerit sanguinis, sal tem id feceris.

De medicinis uenenum dissoluentibus et ad extrà trahentibus. Cap. 9.

QVidam ut primo semel euacuatus est sanguis, applicant epithema. Verũ sapientiores id agũt à principio, sæpiusq; renouant, uidelicet à tertia in tertiam horam, apponunt temperate calidum cum panno coccineo. Descripsimus unum suprà, alterum hoc est: Sume aquarum rosarum, aquarum endiuiæ, buglossæ, melissæ ana librã dimidiã, aceti uncias duas, sandalorum, rosarum, corallorum ana drachmas tres, spodij drachmas duas, margaritarum, hyacinthorum, sapphiri ana scrupulum unum, been albi & rubei, ossis de corde cerui, seminum citri ana drachmã dimidiam, musci scrupulum dimidium camphoræ, croci ana scrupulum unum. Si insolitam in patiente noueris caliditatẽ, fac ut ungatur hepar & regio renum, unguento sandalino, bis in die. Inde post horas quatuor (more consueto & ordine) exhibendæ sunt pulueris contra morbum drachmæ duæ uel unà cum albo uino & aquis endiuiæ, nec non acetosellæ, pariter & theriacæ drachmæ duæ, uel saltem una. Post hunc ipsum potum coadiuua cum pannis & fumigijs calidis, naturam ad sudorem. Nec erraret qui theriacam solam administraret: uerumetiam plus in usu est eam dare cum pulueribus. Addunt nonnulli acetum, & id mihi haud displicet: pla-

Pestis curandi rationes physicæ.

cet quoq; eam sæpius administrari. Et utilis est simul cum theriaca, aqua scabiosæ & melissæ, ubi non multa adsit caliditas: Antiqua contra morbum pulueris talis est descriptio. Cape dictami albi, corallorum alborum, tormẽtillæ, boli armeni, gẽtianæ ana unciam unam, terræ sigillatæ unciam dimidiam. Modernior hæc est: Sume barbam dictami, barbam tormẽtillæ, agrimoniæ, ligni aloes, boli armeni, ualerianæ, lapatij, sandalorũ rubeorũ ana partes æquales, barbæ scabiosæ ad pondus omnium misce cum sanguine tauri desiccati ad solem et destillati. Alia descriptio. Sume spodij, dictami albi, gentianæ, tormentillæ, granorum iuniperi, seminum citri, carlinæ ana drachmas quatuor, foliorum albatri uncias duas. Tertia descriptio. Sume tormẽtillæ, dictami albi, cornu cerui usti, zedoarię ana drachmam unam, margaritarum, corallorum rub. ana scrupulos duos. Quarta descriptio. Sume tormẽtillæ, dictami albi, boli armeni, camphoræ, margaritarũ sandalorum rub. cornu cerui usti, aristolochiæ rotundæ, sacchari albi ana drachmas duas. Quinta descriptio. Sume tormentillæ, dictami ana drachmas duas, seminis acetosæ, seminum citri ana drachmas tres, zinziberis albi, cinnamomi, croci ana scrupulũ unũ, boli armeni, terræ sigillatæ ana drachmas duas cum dimidia, sacchari uncias duas. Hic puluis multũ (ut fama est) ualet contra uenenum, tam antè quàm pòst administratus. Sexta descriptio. Sume radicũ tormentillæ drachmas duas, sandalorum rub. dictami albi recẽtis, cornu cerui usti, margaritarum, boli armeni, aristolochiæ rotundæ ana drachmam unam, camphoræ drachmam dimidiam, sacchari albi drachmas duas, pimpinellæ, myrrhæ, zedoariæ ana drachmã unam, sandalorũ, terræ sigillatæ

ana drachmas duas, seminum citri, croci ana scrupulum unum, cornu unicornis, hyacinthorum ana drchmam dimidiam. Hi pulueres uigorem præstant cordi, adiuuantq; ipsum in expellendo à se uenenum, putrescibiles humores desiccant, cohibent uias cordis ne uenenũ ipsum attingat: frequenter etiam uenenum expellũt per uiam sudoris. Experimento compertum habetur priorẽ, quam diximus antiquam, descriptionem, ac inter modernas ultimam, cæteris esse multo ac lõgè efficaciorem. Sunt quidam qui post uomitus prouocationem (si ea opus sit) facto etiã clysture et inunctione, primo exhibent pulueres atq; epithema, post cuius operationem tunc primũ euacuant sanguinem. Id autem faciunt ubi patiens sanguinis multum habuerit, nec fortè in hoc errant. At ubi fieri nõ poßit sanguinis extractio, tum defectu sanguinis, loco phlebotomiæ exhibẽt medicinã, prius tñ pulueres. Postquã sudauerit infirmus, aut debitũ sudoris tempus elapsum fuerit, non expectanda est humoris digestio: quoniam nõ adest temporis mora atq; facultas pro celebranda digestione. Equidem cum necessitas immineat (siquidem ea ipsa non subest legi) mini me obseruanda est consueta temporũ discretio atq; dierũ. Nec cõfidẽdum est spe aliqua in opere naturæ ad euacuationem enitentis, quoniam irregularis est propter indigestionem impetumq; ueneni, equidẽ oppressa natura ut potest plus operatur quàm debeat. Post ideò competens sudandi tempus, uel sanguinem si abundat minues, uel non abundante dabis purgationem, ex rebus tamen non cõmouentibus stomachũ. Factus enim cum uiolentia uomitus, pectoris dilatãdo uias facit ut ad cor uenenum percurrat, trahitq; ipsum ad cerebrũ. Hac de causa errãt qui capra-

gnem & res huiusmodi exhibẽt uomitiuas et uenenosas. Vix enim uni resistere potest natura ueneno. Posset fortè nobis quispiam opponere, cur uenenatos ad uomitũ producere physici soleant. Dico non parem esse uenenorum conditionem: cætera enim plus habent materiæ, et ad educendũ aptiora per uomitum, & sunt in stomacho: istud uerò uapor est quidam uenenosus, & in partibus pectoris. Nulla igitur adsit medicina quæ uomitum uiolenter producere possit: at eum qui nulla cum uiolentia, damnarem minime: approbarem tamen magis, ut per inferiora diuersio fiat. Dissoluatur, quã dabis, medicina in uino albo, & aqua scabiosæ, endiuiæ, rosarũ, plantaginis, buglossæ, mel lissæ, aceto rosato, in quibus facta sit decoctio ex prunis damascenis, myrobalanis, tamarindis. Si autem morbus inuadit aliquem stomacho repleto, quidnam faciendũ erit iuxta ordinem modernorum? Fac ut post unctionem cum oleo scorpionũ & theriaca faciliter uomat, cũ aqua tepida, aceto, oleo, et succo raphani, tẽtãdo etiã prouocationẽ cũ pẽna lõga: deinde administrabis clystere, postmodũ epithema, & de ipsis pulueribus. Deinde tempore quo iam quietior et restauratus ægrotans fuerit, uenam seces, si est sanguineus: sin minus, administra medicinã. Et si in phlebotomia ultra quatuor sanguinis uncias extraxeris, absti ne à medicina quousq; transactæ sint à phlebotomia horæ duodecim. Et licet phlebotomiam peregeris, spem tñ nõ ponas in sola ipsa, præsertim in plethorico, sanguineo & robusto corpore. Quinimmo & in alijs quibus parũ sanguinis extraxisti, etiam propinanda est suo tẽpore medicina iuxta cõplexionis qualitatẽ et uirtutis. Similiter si prius medicinam dederis, nõ eris ea cõtentus, si fuerit ple

Venenorũ non una qualitas

thoricũ corpus, uirtute consentiente, phlebotomiã quoq; tempore & modo iniunge. Et hanc distinctionem facies, scilicet in administrando unum & alterum, ubi id poßibile & conueniens. Sed ubi sanguis abundat, præcedat phlebotomia et sit copiosior: ubi uerò sanguis nõ abundat, medicina præcedat, et phlebotomia sequatur, modica tamen, scilicet potius euentandi quàm diminuendi causa. Post tertium diem nulla fieri debet sanguinis extractio, nisi te ad hoc sanguinis multitudo compellat. Quotiescunq; medicinam uel phlebotomiam seu uomitiuum administras, ad hoc ut eiuscemodi agitatione ipsum uenenum à signo non reuertatur ad intus si signum fuerit apparens, fac ut in tali cõmotione ponas sub & supra signum, uentosas et sanguisugas, & super cor epithemata frigida. Et ante & post propinabis per os ea quæ defendunt à ueneno, uideli cet theriacã, bolum armeni, smaragdos, hyacinthos, topazium, uel saltem alia gemmarum genera, aut corallos cũ succo herbarũ contra uenenum. Cum facis purgationem, exhibe medicinam cũ modico croci in decoctione suprædicta. Principalis & securior medicina secundũ Persarũ Medicos, & Mesuen, est triferæ persicæ uncia una cũ electuarij hamech drach. duabus, uel ad minus triferæ uncia dimidia, & electuarij hamech drachma una uel dimidia. Sed maxime robustis datur uncia una cum electuarij hamech drachmis tribus, et Persiani eam administrant cum aqua frigida uel succo solatri uel ẽdiuiæ. De hoc sæpius audiui, & felix periculum feci iam præsenti anno. Vbi autem trifera & electuarium hamech defuerint, propinabis diasenæ loco triferæ, et diamanna, nec succum rosarum loco electuarij hamech modo prædicto. Experientiam feci,

Medicina Persarum

& multæ utilitatis securitatisq; hanc cõpositionẽ reperi: Sume trypheræ persicæ, pulpæ casiæ ana unciã dimidiã, reubarbari, diamannæ uel electuarij hamech drac. unam. Sed ubi natura ualida est & uenter stypticus, dabis diamannæ uel electuarij hamech drach. duas, distempera cũ aquis buglossæ, enduiæ, cum decoctionibus supradictis et aquis prædictis. Ego uerò reubarbarũ in uino albo & aquis enduiæ cũ modico spicæ teneo per horã, quod do in substantia cõmiscendo oĩa simul, sæpius etiã addo postmo dũ mannæ unciã unam. Conueniunt & pilulæ de fumo terræ, aggregatiuæ pilulæ, partes æquales, robustis quidẽ in toto drach. una, alij uerò in toto drach. dimidia, suprabibendo uinũ albũ cum aquis enduiæ, uel rosarũ & scabiosæ. Etiã ipse solæ aggregatiuæ in omni tpe, præsertim minus æstiuo drach. una uel dimidia. Notandũ si febris inhæret humoribus subtilibus & calidis, apparebit sitis uehemẽs, gulæ ariditas, linguæ nigredo, acutus capitis dolor, phreneses, uel similia horrenda accidentia. Si aũt grossioribus inhæserit humoribus, & minus furiosis, febris uidebitur lenta, & prædicta accidentia remissiora. Considera eiuscemodi signa, & scias quod in quocunque humore cõuenit tryphera cũ agarico, et pilulæ aggregatiuæ uel solæ, uel cum pilulis de fumo terræ. Syrupus etiã solutiuus quẽ dicemus inferius, si fuerit in materia furiosa, etiam conuenit diasenæ cum electuario hamech uel succo rosarum.

Item casia cum reubarbaro: item manna cum diamanna in decoctionibus frigidis. Si est in materia grossa frigida & humida conueniunt robustioribus pilularum aggregatiuarum scrupuli duo, pilularum de agarico scrupulus unus. Debilioribus uerò diacatholiconis unciã una cũ dia-

feniconis drach. duabus, uel cum agarici trochiſcati drac. una uel ſemis. Item de pilulis contra morbum dictis ſuperius, drach. una uel ſemis: & fortè eiuſcemodi pilulæ conueniunt in quocunque humore. Nota quod agaricus bene præparatus & trochiſcatus eſt ſingularis ĩ hoc caſu ĩ quo
Agaricus cunq; humore & membro. Ideò quando certior eſſem de ſua præparatione, uterer eo in omni medicina, dãdo drac. duas, uel unam, uel ſemis de eius trochiſcis, iuxta potentiã medicinæ, & iuxta cõplexionẽ hominis. Et ubi dubitarẽ de eius præparatione, infunderẽ eum in oxymelle ſquillitico cũ ſalgemma, & poſtea colando ponerem ſuper medicinã abſq; expreßione. Itẽ notandũ quòd pilulæ aggregatiuæ ſunt appropriatæ, et loco illarũ debent adminiſtrari pilulæ. Sine quibus, minus robuſtis. Et ſcias melius eſſe dare medicinã quàm pilulas in hoc caſu. Et ſi haberi poſſit, diamanna melior eſt ſucco roſarum & fortior. Et electuariũ hamech melius eſt ambobus, ſcilicet et diamanna & ſucco roſarũ. Demũ in omni humore mirabilis eſt iſte ſyrupus ſolutiuus loco medicĩæ ad minus uncia una, et ad ultimũ duæ, cũ aqua roſarũ & uino albo. Sume corticum citri, radicum capparis, berberis, ſandalorum rub. ſpodij ana drachmas duas, chariophilatæ, meliſſæ, bugloſſæ, boraginis, cichoriæ ana manipulom unũ: acetoſæ, praſſij, hepaticæ ana manipulum unum cum dimidio, ſcariolæ ſylueſtris drachmas duas, ſeminis cucurbitæ. ſ. peponum, citruli, cucumeris, uiolarum ana manipulum unum, thymi, epithymi, agarici, reubarbari, ſenæ, polypodij ana drachmas duas, ſucci abſinthij, fumi terræ, ebuli et plantaginis ana drachmas ſex, myrobalanorũ chebulorũ drachmã unã, citrinorũ drachmã dimidiã, diagridij drach. duas, ſacchar;

albi libras duas, fac syrupum cum aceto cydoniorum. Iste syrupus à Doctoribus uocatur diuinus in conseruando et curãdo, quia statim abscindit humores putrescibiles, confortat mẽbra principalia, pellit uenenũ ad extra, & de eo plures uisæ sunt experientiæ. Inter cæteros Doctores, Petrus de Tußigniana, & Gẽtilis Fulgineus eũ mirũ in modũ cõmendãt, & mihi uidetur eum factũ esse ad intentionẽ trypheræ persicæ, sed magis solutiuus, & mihi sumopere placet in personis nõ debilißimis, & nõ habẽtibus uentrẽ ualde lubricũ. Sumatur semel in hebdomada à sanis & ægris. Nota, quòd post operationem medicinæ, aut phlebotomiam, si medicinam non administraueris die sequẽti, propinetur theriacæ drac. una, cũ aquæ rosarũ uncia una, cũ modico aceti rosati. Nec timeas theriacæ caliditatem, quoniã tã modica portio parũ calefacere potest, eò quòd qualitas elemẽtaris, qualis est caliditas & similes, cũ sint ualde materiales, haud multũ operatur, nisi multa cũ materia. Verũ specifica uirtus utpote quæ donũ sit cœleste, & quasi spiritale, multũ operatur secundum Gal. pauca etiam cum materia. Theriaca aũt à proprietate specifica operatur cõtra uenenũ, ac præter hoc, caliditatis secundũ uix perficit gradũ, ideò longe potentior est ad uenenũ expellendũ, quàm ad calefaciendũ. Febris item pestilentialis multo magis uenenosa quàm calida: at exhibenda est theriaca cum aqua rosarum, & etiam in cæteris curandum est ut tendant ad quandam frigiditatem, quatenus hac ipsa uti ualeas. Potest etiam dari Mithridatum loco theriacæ, sed multo potiores ex theriaca uisæ sunt experientiæ. Ideò inquit Moyses Aegyptius narratũ sibi esse à sapiente quodam Medico, se dum tempore pestis in Antiochia

artem exerceret, ipsa re uerum reperisse, cætera remedia cuncta fore debilia, ac solum qui monitu suo theriacam assumebant, tutos & superstites euasisse, cæteri nequaquam. Et hi tantũ qui ea post morbi inuasionem usi sunt, liberati fuere, alij uitam morte cõmutarunt. Per hoc cõfirmantur quod inquit Gal. in libello de theriaca ad Cæsarẽ, eam esse oĩbus uenenis per aduersam, foreq; potẽtẽ, ubi cætera deficiunt ac sunt debilia. Hoc aũt habet à uirtute quadã mira culosa. Sunt etiã qui urinã potu exhibeant, uel lixiuiũ: itẽ succũ ceparũ albarum cum aceto, haud scio quid mihi dicendũ. Hoc moneo ne confidentiam habeas in purgatione postquã eam feceris, etiã si ex ipsa melius se habeat infirmus: sed cum æger melius habere uidebitur, tertia die aut quarta post purgationẽ. Si multa adhuc adsit sanguinis superfluitas, extrahe parũ de sanguine, & reitera eandẽ medicinalem purgationem. Quod si non admodũ abundat, repete saltẽ pulueres & medicinam, ne recidat in peius. Quidã exhibent euphorbiũ cũ mastice ac gumma elemi. Sume euphorbij drac. quinq;, & scrup. unum gummi elemi uncias duas, masticis unciam unam cum dimidia, dabis robustis ad pondus drachmã unam, debilibus scrupulum unum, cum aquis endiuiæ & scabiosæ. Est quidem periculosa medicina, nec nisi robustißimis appropriatur, ac nisi in principio. Asserunt nonnulli gummam elemi fore gummam arboris cedrini. Sciendum quod hoc in casu non debilis exhibenda est medicina, id est, quæ exilem faciat operationem, quoniam natura ipsa si prima medicina non bene sit operata, secundã non expectat. Nec tamen decet nimio impetu soluere, nam ex hoc resoluerentur spiritus, istudq; malum magè consistit in qualitate quadam uene-

nosa, quàm in quãtitate materiæ. Inquit Gẽtilis Fulgineus se multa expertum cũ supradicto puluere, ab initio sic ipsum administrabat: Sume euphorbij drachmam dimidiã, masticis drachmam unã, dabat ex his scrupulos duos, & multũ plethoricis drachmam unã. At mihi multo magis placet agaricus, quia ut aiunt Democritus, Galenus & Auicenna, ab omnibus membris aliquẽ trahit humorem, similiterq; habet uirtutẽ quasi theriacę, aduersus omne uenenũ corroborat, idq; ab omni ueneno expurgat, grossos principaliter purgat humores, nec relinquit tenues quoq; intẽtatos. Sit albus, porosus, rotundus, nec non & fractu facilis, dulcis ac leuis. Sit quoq; modicæ amaritudinis & stypticitatis, bene tritus, & mistus cũ salis gemmæ parte tertia, et sic corrigatur cũ sal gemma, melle rosato colato, oxymelle squillitico, & uino infusionis zinziberis, et sic præparetur introchiscatum. Et debilibus tutius est ut detur pmistus alijs rebus, quã solus & melius in decoctionibus, quã in substantia, quoniã frequenter lõgos producit uomitus, uentriscq; dolores, nisi bene electus & præparatus sit. Qd' si debite fuerit electus & præparatus, est medicina sancta & familiaris secũdũ Democritũ & Mesue. Felices nanq; fecimus (modo & ordine dicto) ipso cum agarico experiẽtias. At circa euphorbium cõpertum habuimus, qd' ualde bonum nõnunquã fecerit opus: at sæpius cule contrarium. Vniuersaliter & in summa, sis celer in euacuãdo & frequẽs, obseruatis modo & ordine. Frequẽtius infirmum recrea, quoniã spiritus aliàs plurimum resoluũtur, nec tantũ ei dato, siue cibaria, siue medicinalia, quæ solũ mollificãt, sed his pmisce refrigeratiua, desiccatiua, & cordis confortatiua, quæ etiam ueneno resistant.

Agarici boni substantia qualis

De cibatione, & regmine ægrotantis. Cap. 10.

Dieta peste corrupti

Cibus esse debet, secundum Rasim & Auicennam quarto Canonis, frequens, modicus, leuis, elixus, ac multi & humidi nutrimenti, conditus cum rebus acetosis & frigidis, ut scilicet cum endiuia, acetosella, aceto, agresto, malis granatis, arancijs, limonibus, cerasijs acetosis, prunis. Cibi substãtia sint pulli, ꝑdix, phasianus, consummatũ, destillatum, oua recẽtia. Hœdinas quoq; carnes non prohibeo. Summa, nutriatur rebus liquidis, humidis, & multi nutrimenti. Sic tamen nutriri debet ut natura toleret, nec febres multiplicentur: plus enim multo quã cæteris hoc in casu uberiori opus est alimento. Inquit Auicenna quarto Canone, quòd uenarum repletio per nutrimentum prohibet uaporis uenenosi aeris & humoris trã situm, & quòd hi frequentius liberentur, qui intrepide nutrimẽto adiuuantur. Nota, quòd facto clystere solutiuo, de quo suprà mentionem fecimus, si restauratione opus sit alia, sumat aliquid per os, facies solutionem uel cum enemate uel suppositorio, inde ad horas quatuor administrabis aliquid nutrimenti, de quo paulò supra disseruimus. Vinum sit album, subtile, odoriferum, dilutum cum aqua ferrata, recenti saltẽ, parte æquali. Melior uerò esset aqua aurata, in qua aurum ignitum extinctum sit, uel etiam extingui potest aurum in uino. Nõ sinas eum pati sitim, nec os exiccari, sed continue fac ipsum gargarizare cum uino albo bene diluto. Res teneat in ore humidas, frigidulas, frequenter bibat de acetositate citri, & iuleb rosato ana partes æquales cum uino granatorum & aqua siue succo acetosellæ. Vtilis est syrupus acetosæ simplicis cum aqua ferrata, & pariter succus cedri uel limonum siue arancio

rum

rum expressorũ: hæc dabis cũ aqua & saccharo fini, uel fortè melius cũ aqua hordei uel ferrata. Item saccharũ rosatũ aut diamarenatum, uel diaprunis & diacydonitè dissolutum in aqua, colatum & expressum, uel rosas, cerasa, acetosa, myrobalanos, tamarindos, pruna, cydonia, pfica sicca, trita et infusa in aqua, post colata, expressa & cum saccharo et aqua recenti exhibita, utilia sunt. Cõuenit etiã acetum albũ cũ aqua ferrata & saccharo ægris, simulatq; sanis. Confert etiã oxysacchara cõposita cum aceto albo, succo granatorũ acetosorum, & saccharo. Prodest quoq; succus granatorũ medij saporis, uel succus siue uinum acetosorũ cum modico sacchari, & aqua hordei cũ uino granatorũ. Bonũ est anulos aureos in aqua tãdiu cõfricare, ut aliquantulũ rodantur ꝑ aquam. Item bullire aquã cum auro, & ea uti in cibo & potu bonũ est. Secũdum Gẽtilẽ fieri fortasse põt, ut aurũ ad formã reducatur liquidã aptã ad potãdum, hoc modo: Sume auri unciã unã, argenti uiui uncias duas, misce, & simul mista maneãt quousq; aurũ dissoluatur: deinde imponas alẽbico cũ igne lento, intantũ quod argentũ uiuum alẽbicum exeat. Postea excipias aurũ ex fundo alembici, & adde aquarũ buglossæ uncias quadraginta septẽ, ponas in alẽbicũ uitreũ bene obturatũ. Cõtinuabis sub eo ignem per tres dies & noctes, ignẽ dico bene proportionatum. In fine si cullueris artem, inuenies aquã minime cõsumptã, & aurũ liquefactum, & hoc est aurũ potabile cordialißimum, & digeri potest. Aurum q dẽ alia forma parũ est utile, quia digeri nequaquã potest. Administrabis bis ĩ die ieiuno stomacho ex his syrupis. ſ. de acetositate citri, de limonibus, de cichorea, de fumo terræ ana drachmã dimidiam, cum uncia una aquarum me-

liſſæ et ſucci acetoſellæ. Itẽ ſyrupi de agreſta, de ribes, rob berberis, de cydonijs, de granatis medij ſaporis, de grana tis cum aquis endiuiæ et bugloſſæ. Item ſyrupi de endiuia cum aquis endiuiæ et acetoſitate citri, cũ ſucco acetoſellæ, et uino granatorũ acetoſorum: item ſuccum limonum, uel citri, uel aranciorum expreſſorum exhibẽdum cũ aquaet ſaccharo. Nõ dipliceret ſi loco aquæ adminiſtrares bro dium pullorũ, quod appellari uulgariter ſolet Piperata, aut perdicem coctã cum agreſta et endiuia, exinde colata, cui miſtum ſit aliquid ex memoratis ſuccis, cum dulcibus contemperando acetoſa, ueluti natura facit in granatis me dij ſaporis. Etiam mala granata acetoſa cum uino & ſuc co ſuo ſola, uel etiam cum alijs ſuccis, cõdiantur bene om nia. Item ſuccum roſarum, myrobalanos, tamarindos, ſac charum roſatum & diamarenatum, diaprunis, diacydoni ten, diſſoluta in aqua, & colata & expreſſa, bibendaſunt cum aqua recenti. Item oxyſacchara cum iuleb roſato & aqua ferrata. Item ſuccum roſarum & acetoſitatem citri cum uino granatorum. Nota, ſyrupus acetoſæ. ſ. in quocũ que utilis eſt ſyrupo. Vbi non habeatur acetoſitas citri, ex prime limones uel arancios, & cum ſaccharo tempera, et ubi maior adſit caliditas, maiori quantitate dabis acetoſa: ubi minor minori. Et ubi non habeatur ſyrupus acetoſus, dabis acetum, aquã & ſaccharum ſimul permiſta. Album acetum melius eſt rubro. Itẽ ſyrupum hunc optimum: Su me ſucci meliſſæ, boraginis, bugloſſæ depurati ana uncias tres, aquæ roſarum, aceti albi ana unciam unam cum dimi dia, acetoſitatis citri & linionum unciam dimidiam, ſac chari albi libram unam, ex hoc propinabis uncias duas cũ aquarũ bugloſſæ & acetoſellæ uncijs duabus & dimidia,

ex his utere quo placet: Et ſimul dato duos trochiſcos de camphora. Quidam ſapiẽtum loco ſyrupi hanc danc potionẽ. Sume aquæ roſarum libr̃ unam, uini albi odoriferi libr̃ dimidiã, boli armeni optime pulueriſati & cribrati unciã dimidiam, pro uice una exhibeto drac. duas: eſt. n. remedium & antiquum & potẽs. Experimẽtatores duobus potiſſimum utuntur, uidelicet ſucco florum aranciorũ cũ uino in caſu & poſt caſum, & ſemine Cardonis benedicti cũ uino, quia hæc ſunt experta aduerſus uenenũ fungorũ. Solẽt & hæc dare ſapiẽtes: Sume ſucci ſcabioſæ uncias tres, terræ ſigillatæ drach. unam cum modico uini: item ſeminum citri drachmas duas cum uino bono. Item ambr̃ & charabe cum uino: item ſpecierum coagulorum drachmam unam cum uino. Coagula ſunt mucculagines quædã in certis ueſicis, appenſæ in uiſceribus hœdorum & leporum. Item radicem palmæ Chriſti cum uino. Hæc quibus (ut tradidimus) ſapientes utuntur, remouent uenenum à corde. Conueniunt ad conſeruandũ & curandum hæ confectiones. Multum confide in hac noſtra cõpoſitione ſimplici, ſecura efficaciſſima. Accipe boli armeni drachmas duas, terræ ſigillatæ, corallorum rubrorum ana drachmã unam, corticũ citri, zedoariæ, croci ana drachmam dimidiam, ſacchari roſati roſis rubeis conditi uncias ſex, aceto ſitatis citri uncias decem, dabis ſemper cum uino albo & aqua roſarum, quandoq; cõmiſcendum eſt parum aceti roſati. Ex his etiã conficere poſſumus pilulas, ſi loco ſacchari roſati accipiamus roſarum rubearũ unciam dimidiam, cum acetoſitate citri quantum ſufficit. Quidam dant iſtas compoſitiones: Sume ſacchari roſati, trium ſandalorum, diadraganti ana uncias quatuor, folia auri numero decẽ,

margaritarũ, hyacinthorũ, oßis de corde cerui ana drac. unam. Item cape margaritarũ ſcrup. unum, ſapphiri, hyacinthorum, ſmaragdorum drac. duas, terræ ſigillatæ, triũ granorum. ſerici crudi triti ana drach. dimidiam, ſmaragdorum drach. unam, manus chriſti roſati quantumlibet, aquæ roſarum in qua confricentur anuli aurei uel uaſa aurea huiuſmodi quantum ſufficit. Item aquæ roſarum, ſacchari albi ana libram unam, ſandalorum rubeorum & alborum, corallorum rubeorum, ſpodij ana drach. dimidiã, margaritarum drach. unam, hyacinthorum, ſmaragdorũ, ſapphiri, oßis de corde cerui ana ſcrup. unum. Omnia aromatica conueniunt ad conſeruandum & curandum, maxime quæ attinent frigiditati & caliditati. Et ſi non conueniant ad febrilem calorem, ualent tamen aduerſus uenenũ ipſius, & maxime ſi contemperentur cum frigidis, ita ut ad frigiditatem aliquam declinent, & plus declinent ſtante uel tẽporum uel complexionum uel febrium acutarũ caliditate. Item nota quod inter terram ſigillatã, & bolũ armenum hæc eſt diſtantia, quod quanuis utraq; ualeat contra uenenũ & morbũ, nihilominus plus utuntur ſapientes terra quàm bolo in cæteris uenenis: at in morbo peſtilentiali potius è conuerſo faciunt. In hoc conueniunt oẽs, in cæteris uenenis nil melius eſſe terra ſigillata, maxime exhibẽdo eã cum modico boli armeni, & granorũ iuniperi, & aceto diluto ſecundũ modum Gal. quia ſtatim conſtringit, clauditq; uias pectorales, ita ut uenenum per eas trãſire nõ poßit, eijcitq; uenenum per uomitum. Pariter & uenenum quod per ſolutiua educibile, id facit adminiſtrata tã poſt, quã ante caſum, ſed ſecurius ante. Similiter cõſentiunt oẽs, quòd cum ad conſeruãdum ſe à peſte, tum etiam

Terræ ſigillatæ facultas.

expellendum ipſam bolus armenus cætera ſimplicia ſupe ret oĩa, maxime exhibitus cum uino albo & aqua roſarũ, ſcd'm ordinẽ Gal. Serapionis, & Auic. qui aiunt ſe eſſe ex pertos tpe magnæ peſtilẽtiæ fuiſſe cum hoc faciliter & cõ ſeruatos & ſanatos humores. Eſt. n. bolus armenus ru beus parum croceus, delicatus, frangibilis. Terra uerò ſi gillata aliquãtulum ſit rubẽs, guſtui parum acetoſa & ari da, nõnihil uiſcoſa, nec tamẽ adeò tenax ut digitis adhæ reat. Aduerte quod nõnunquã initium capit morbus cum ſputo ſanguinis abundante, hoc in caſu nõ datur bolus, ne que aliud huiuſce uenenoſi ſanguinis ſtrictiuum: Imò coa diuuatur iſte fluxus cum rebus pectoralibus, extrahiturq; ſanguis ex ambabus uenis ſaphenæ, in qualitatẽ cõplexio nis. Quod ſi ægrotãs eſt multum ſanguineus, fit ẽt minu tio poſtmodum ex mediana. Nec ſunt prætermittẽdæ fri cationes ſtomacho ieiuno. Fac ut admoueat naſo ſpõgiam intinctam in aqua roſarum & aceto roſarum, & cum ui no odorifero, quibus ẽt ſæpe lauet oẽs pulſus et facilẽ. Vbi adſit de futura phreneſi ſuſpicio, admoueas quandoq; frõ ti aquã roſarum cum aceto roſarũ. Et niſi nimiam metuas ſomnolẽtiam, addas parum camphoræ. Cura ne infirmus in profundũ nimis deueniat ſomnũ: ſufficiunt. n. horæ ſex uel quinq; p diẽ & noctẽ, ſiquidẽ dormitio multa retrahit uenenum ad intra. Vẽtoſæ à tergo poſitæ, frictiones & li gamẽta circum extremitates, cõferunt ad phreneſim pari ter et ſomnolẽtiã. Itẽ cõfert ſuppoſitorium ex ſapone cum modico ſalgẽmæ. Sõnus modicus ĩ principio morbi utilis eſt, nec ideò tantum uigilandum eſt ut inde ſpiritus reſolu ãtur. Camera euẽtari debet ſæpe apiendo et reſerãdo: ex hoc. n. uariatur aer, ſic tñ euentari debet, ne ob id ſentiat

ægrotans & patiatur frigoris quicquam. Debēt tendi per latera lecti lintea aceto madefacta. Aſperge parietes ac ſolum cameræ aceto aqua permiſto: ſpargantur hincinde, et per angulos & parietes apponantur frondes, pāpini, cannæ, ſalices, oſæ, plātulæ & fōlia citrullorum & alia quæq; uiridantia, floſculi & poma odorifera. Facies ſuffitum ex ſandalis & roſis, mirthillis & cāphora, terebinthina, thure, corticibus citri, corticibus granatorum & pomorum cōum, additis modicum chariophilorum & croci. Superōa curæ ſit, quod ſingulis horis ſex oportet te mutare & renouare infirmo camiſiam & oēs pannos linteamina, fumigia, una cum uaſe pro fumigio. Si cōmode fieri pōt mutabis ſingulis uigintiquatuor horis ſtratum & cameram. Antea aūt quàm introducatur, ſit camera bene emundata, ac bonis (ut cōuenit) odoribus fumigata. Aliter. n. amictus, lectus, et habitatio, ueneno inficiūt. Nec uolo cū ſilētio præteriri, qđ ubi inſolita appareat caliditas, ſtomachi robur, dolorūq; ab inteſtinis ſecuritas, cōſueuerunt Raſis & Iohānitius ſemel tantū ad potandū dare aquā frigidam & recētē multa cū quātitate. Ego uerò ut ſecurius agerē, darē aquæ hordei recētis libras tres, cum uncijs tribus ſacchari. Et fortè darē ēt ſucci cucumeris librā dimidiā, cū uncia una ſacchari bene ſimul permiſta, poſtea ſucci arancio rum uel granatorum unciam unam, & drac. unam ſaccha ri. Quidam cōpatriota noſter uir robuſtus, quamprimum hic ipſum morbus inuaſit, īmerſit ſe aquis frigidis, perq; duas horas ſic ſtetit, exiēs liberatus eſt: uerūtamē fallaciſs. hoc eſt experimētum. Fortè ſecurius eſſet ſedere in aquis tepidis quæ pectoralia nō attingerēt, quoniā hæ partes nō ſunt aperiēdæ, nec ad ipſas prouocādi ſunt humores. Nō-

nulli hoc in casu assumpserunt uenena & maxime quæ frigidæ naturæ, & fortassis etiam ea quæ calidæ naturæ, prius uel post theriacam uel terram sigillatam cum bolo armeno & aceto aqua permisto, & similia quæ contra uenenum sunt. Inter quos quidam physicus liberatus fuerat. Videtur tamen mihi res admodum periculosa.

De cura per artem chirurgiæ. Cap. 11.

HOc in casu nõ expectandum, quousq; appareat inflatio aut bulla, sed facta purgatione uel phlebotomia sis celer & prõptus ad uenenum extrahendum, faciendo cum fermento et cantharidibus ruptorium uel aliud ex his q̃ inferius narrabimus. Applices musculo dextri brachij sub cubito interiori à parte uel ubi tangi solet pulsus, nõ tñ sup proprio pulsu. Similiter facies sup talo pedis dextri quatuor digitis ad intra ut fiat uesica, quã aperi, apertãq; teneas. Si solitũ apparuerit signũ, & incõmoditas breuitasq; tpis obseruãdum ordinẽ impediãt, fiat phlebotomia atq; purgatio. Quibus factis uel saltẽ phlebotomia, facies ruptioriũ, & applicabis eidẽ lateri sex digitorum sub signo distãtia. Sunt qui tẽporis uarietati nõ cõfidant, sed & præter ordinẽ primo et post, simulq; quò melius possent remedijs curæ studẽt. Modernorũ talis ordo quorundã est, ut ubi nil impediat, primo purgetur infirmus cum clysteribus, pulueribus, phlebotomia & medicina. Post uerò applicanda ut diximus (etiam non apparente signo) ruptoria, ac tutius est cõfestim (appareat signũ uel nõ) põamus ruptoria et reliqua huic morbo appropriata. Si uideatur apparẽs, sic facito. Si.n. apparuerit circa aures subito ruptoriũ applica collo ĩ posteriori parte, eiusdem tamen lateris in quo signum. Si sub brachio, mu

sculo ruptorium apponatur eiusdem brachij, uel propè pulsum, non tamē supra. Si in inguinibus, pone iuxta cauillam, hoc est super talo pedis eiusdem lateris. Cum alibi appareat, applica ruptorium sub signo per distantiā septē digitorum, uel sextantis, ne tamen ponatur, utcunq; sit, supra pectus. Et si fuerit in gula, uidelicet à parte anteriori, ponatur ruptorium à posteriori, uidelicet in collo: si uerò in posteriori parte eodē in loco fuerit, nō debet in anteriori applicari. sed potius sub loco signi, sicq; tandiu permittes ibidem ruptorium donec uesicam fecerit, quā aperias, & supraponas butyrum et folia caulis: item spongiā hac intinctam decoctione. Sume chamomillæ, brictanicæ, meliloti, scabiosæ ana manipulum unum, bulliant in libra dimidia aquæ ad consumptionem dimidij: hanc quia uenenum trahit renouato, teneto sæpius in finem usq; curæ.

Simplicium descriptio ruptoriorum. Cap. 12.

RVptoria hæc sunt, uīcetoxicō, uitriolū, flos æris, nux rancida, cordumeniū, arsenicū, calx uiua, antipharmacū, cuscuta, calx cū sapone sullonum, aura, cynglossa, fermentum cū lixiuio: galbanus, cauda equina, euphorbiū, stercus columbinum, stercus accipitris, auserū, anatum, nasturtium, limacia uiua, uel suo cū cortice trita, rana excoriata et assata, calamētū, pulegiū ceruinū, aristolochia, raphanus, uiscū, cētinodia, costum, pip, lapis spōgiæ marinæ. flāmula trita, urtica, sinapis, uita alba, mē tastrum, scabiosa, canapis, canapatium, cantharides & sal gēma. grana masticata, pirethrum, uitellus oui cum multo salis, consolida maior, & scabiosa, tritæ intra duos lapides mirabiles sūt. Dicta ruptoria debēt cito, ut dixerā, applicari, & forte pariter super signum apparēs. In delica-

tis personis utendum est lenioribus, & in alijs, fortioribus. Et tutius est ut sub signo ponantur quàm supra: uel supra ponantur minus fortia, sub uerò, fortiora.

Curandi apostematis rõnes, modi & cõditiones. Ca. 13.

HOc signum uocatur apostema, qd' cum uenit ante febris accessum indicat cor fortè esse et potens ad expellẽdum uenenum, et tunc est febris accidens apostematis, E diuerso est cum uenerit post febrim. Hoc enim apostema est duarum generationum, altera est bulla, & nominatur anthrax et carbunculus: Altera est inflatio et uocatur bubo, et glandula. Bulla cõmuniter p emuncto ria exit, & quanto plus à principalibus distat mẽbris, tã- Bulla to minus periculosa est. Nigra est omnium peßima: secundo uiridis loco est paulò minus mala: tertio glauca, rubea quarto. Et quanto aridior, tanto etiam peior est. Inflatio cõmuniter in emunctorijs uenire solet, hoc est principalium mẽbrorum purgatorijs, quæ tres sunt: in locis. s. post aures, sub brachijs, in inguinibus. Cerebrum p emunctoria post aures demittit uenenũ, necnõ ĩ collũ. Cor sub bra Tria prin chia mittit. Ad uel circum inguina hepar. Hac de causa cipaliũ mẽ peior est inflatio quàm bulla, quoniam ueneni multum ad brorum principalia decurrisse mẽbra ostendit. Et quãto cordi pro emunctoꝓinquior inflatio fuerit, tanto quidẽ periculosior. Vtrc- ria rumq; s. bullæ pariter et inflationis quasi similis est cura. Sunt qui accedente apostemate ante febrem, & procul à corde faciunt subitò ligaturas inter locum doloris et cor, supraponuntq; repercutiẽdi causa res frigidas, siccas. At supra doloris locum proprium, res ponunt calidas & humidas, resolutiuas. Alij quamprimum apparere incipit apostema, ponunt suprà simul & à latere uentosas, ut di-

cimus, & ruptoria, subitò hanc exhibẽdo medicinam, Sume hellebori nigri præparati, senæ, cinnamomi ana drachmam dimidiam, diagridij scrupulum dimidium: infundantur in uini granatorum uncias quatuor, & sacchari unciã unam. Si ad multas horas in infusione staret, melius esset, postea cola & exprime: propinanda cum apparet apostema antequàm dormiat. Sic uerò præparant helleborum: Scindunt per longum in frusta minuta, ponũt ipsum in pomo dulci, inuoluuntq; pomum in stuppis prius aqua rosarum intinctis, sicq; coquunt sub cineribus calidis, cocto semel proijciunt pomum, recoquunt helleborum alio in pomo, modo quo prius, separatim à pomo conseruatur. Dant robustißimis helleborum mistis miscendis, modo et ordine dicto. Cæteris uerò & minus robustis dant solum modo pomum secundæ coctionis. Præparant scamoneam coquendo ipsam in malis cydonijs, uel in pasta farinæ hordei facta cum uino cydoniorum. Non reprobo istorum regulas, sed ad nostras regredimur.

Regulæ & modi applicandorum ruptoriorũ. Cap. 14.

CVm opportunum non est, ut extrahi possit sanguis cum uentosis uel sanguisugis, nec incendi signum, poni debent sub uel suprà, uel simul utrobiq; ruptoria ex dictis, & his etiam quæ in sequentibus dicam compositionibus. Exhibes autem prædicta si uideatur temporis adesse commoditas, postquàm extractus est sanguis, ac parum quieuit ægrotans, uel saltem post assumptionem medicinæ, & eius perfectam operationem, et si non præstò affuerit qui manu operetur dato puluerem, quem si non habeas, exhibe medicinam. Si nec medicinam habueris, applica sine dilatione ruptoria su-

prã et extra signum, cum moderatione, ut diximus, & ordine: et si tẽpus instet, nec quicquam adhuc factum sit, exhibe simul purgationem & ruptoria, nec cesses unquàm à remediorum administratione, nec differas ut speres te oĩa cum tẽporis cõmoditate facturũ. Aduerte ne super signo ponas res adeò frigidas & stypticas ut uenenum ad intra repercutiant. Vtere his quæ apte ad trahẽdum & resoluẽdum, ut sunt res calidæ. Ac aliquantulum tẽperandæ sunt quãdoq; si sis eas cõtinuaturus cũ rebus frigidis, ut nimia euitetur inflãmatio, nec tamen ita frigidis ut inde restringant. Nec multum metuas dolorẽ, quoniam uenenum trahit ad apostema. Nolo tamen toleres excessum, quoniam uires adderet ueneno, augmẽtaret pariter & fẽbres, natura q; nimis lassaret. Locum ruptorij nolo per artem in totum consolides, donec tres elapsi sunt menses, hoc uerò cũ facis reitera purgationẽ. Quidam Florentinus noster hoc Vere incidit bullam: quod cũ inde ab hoc morbo ita liber esset, ut nõ diuersus fõret à sanis, haud ita multo post quã primum plagam consolidauit: transactis uerò post diebus quadraginta iterum morbo infectus bidui spatio interijt, maxime hoc quia sine purgatione plagam restrinxerat. Hoc etenim scias, quod qui post septimum perit diem, mala potius cura id euenit quàm huiusce natura morbi. Scito quòd postquàm uenenum in tantum decurrit ad apostema, ut principalia membra per hoc sint alleuiata, nisi tu perbene & continue idipsum trahas, rectifices, & purges, intrinsecũ apostematis uenenũ plus exasperatur, contractum uaporat ad intra & occidit. Idcirco continue cor ipsum fortifica cõstringendo uias eius intus & ab extra, humores sæpius euacua, uenenum plagæ rectifica, purga-

Nil speres certi ex illorum præter rationem sanitatis spe, quinimò nec ad instans ob hoc à remedijs cesses, maxime si adhuc septimus non elapsus fuerit dies.

Cõpositaruptoria & emplastra quædã fortia. Cap. 15.

Ruptoria composita multa.

MVltifariã sunt ruptoria cõposita, fortiaq; in trahẽdo uenenum ad extra. Enarrabimus multa, ut secundum opportunitatẽ cuiuslibet auxilio commode uti possis. Sume ficus, ireos, & grana tritici cõtusa, parte æquali, maturat hoc citò ac rumpit. Item fermẽtum cum oleo & sale. Itẽ pix cum passulis & melle. Itẽ stercus passerinum cum axungia porci. Itẽ uitrum puluerizatum cum terebinthina. Itẽ nisi abominosum foret stercus humanum, ualet multum ante et post ruptura, supraponẽdo medullã panis feruẽti oleo intinctã. Itẽ oleum cum cineribus bullitum: Itẽ cantharides numero decẽ, cum uncijs passularum una. fermẽti una & semis, scabiosæ, cynoglossæ, cõsolidæ maioris, antipharmaci ana unciam unam, incorporẽtur cum oleo liliorum. Et si fortius facere uolueris, adde sal & columbinam herbam, rutam ana drach. duas. Item nasturtium cum òleo & sale. Item auripigmentum, piper ana drachmas duas, caricas numero decẽ, fac emplastrum cum melle quantum sufficit. Item baurach, salis ammoniaci, scabiosæ, antipharmici, allij, piperis ana partes æquales, fac emplastrum cum succo scabiosæ. Item galbanum, radices liliorum alborum, stercus humanum, consolidam maiorem tritam inter duos lapides. Item fermenti uncias quatuor, sinapis, uitæ, scabiosæ, absinthij ana manipulum unum, radicum liliorum alborum partem tertiam, uitrioli drach. duas, cantharides numero decem, galbani unciam unam, nuces rancidas numero tres, olei liliorum alborum

quantum ſufficit, coquantur herbæ & radices in oleo, & fiat emplaſtrum, addendo cætera ingredientia ſecundum artem. Item cantharides cum oleo ſaponis. Itẽ cineris quercini, quo tinctores utuntur partes quatuor, calcis partes ſex, miſce, & cũ uteris ſuprapone prædictum emplaſtrũ. Emplaſtra fortia.

At iſtud nũc dictum emplaſtrum facies cũ oleo oliuarum nigrarũ, & fortius eſt, ſi oleũ cum cineribus bulliat. Item fermenti, urticæ, pinguedinis carnis exciccatæ, barbæ mal uauiſci, maluæ, partes æquales. Quinque ſunt herbæ hoc in caſu tum in omnibus emplaſtris, tum etiã intus ſumptæ ualde conuenientes, quoniam tam intus quàm extrà uenenо reſiſtunt, & ſunt quaſi tẽperatæ, ſcilicet conſolida, ſcabioſa, agrimonia, brictanica, ariſtolochia.

De emplaſtris temperatis. Cap. 16.

FOrtia ſunt admodũ ſupradicta ruptoria & emplaſtra, cùm ad rũpendum, tum etiã ad extrahẽdum citò uenenũ. Sed non ſunt continuanda, quoniã nimis inflãmarẽt, attamen eis plus uti quis poſſet, ubi apoſtema non eſſet coloris multũ uiridis aut rubei uel nigri. Ac etiã ubi non multa foret corroſio, temperatiora quædã adducam & magis conuenientia, ubi de magna metus eſſet inflãmatione. Emplaſtra temperata

Sume barbæ maluauiſci uncias duas, caput unum liliorũ alborum, farinæ ſeminis lini ana unciam unã cũ dimidia, bulliant in aqua cõi, & piſtentur cum fermẽto & axungia ueteri, applicetur calidè. Item ſume furfuris non penitus expurgati à farina manipulos duos, coquatur in aceto. Item columbina cum aceto & oleo roſato. Item farina hordei cum ſucco brictanicæ uel conſolidæ. Item cæpas cum butyro coctas addendo poſt caricas, & fermentum cũ oleo camamillino dulcorari poteſt (ſi opus

sit ob odoris uehementiam) addendo poma cocta, aut mal uauiscum, & maluam, ipsarumq; muccilagines. Quod si maiori adhuc opus sit dulcoratione, accipe cæpas coctas & poma cocta scilicet cum butyro & oleo camomillino. Itẽ maluæ, barbæ maluauiscei, scabiosæ ana manipulũ unũ, bulliant herbæ in aqua cõi, cum qua incorporetur farina. Pistẽtur aũt herbæ & cõdiantur simul oĩa cum uncia una pĩguedinis gallinæ, & totidẽ olei camomillini, croci drac. dimidia, est. n. delicatiß. emplastrum. Item scabiosa, pes colũbinus, cichoria, consolida maior. Conuenit post hæc emplastrũ ex apio, brictanica, farina orobi cũ prædictarum herbarũ succis, secundũ aliquos etiam cum theriaca. Item emplastrum ex opoponaco trito cum passulis. Item assa, ruta, & nitrũ cum melle. Bonum quandoq; fuerit unctum esse cum theriaca, suprapositis cæpis & malua coctis. Supraponunt etiam nonnulli flores aranciorum, & folia cõtusa cum axungia & malua. Quantũ uerò ad ipsam theriacam, uolunt aliqui nõ esse ei quicquam superponẽdum, quoniam remittit uenenum ad intra.

Emplastra temperatißima.

Cap. 17.

CVm bulla multum nigra est, & supra modum ardens, ac perquàm citò accendit, corrodit, & dilatatur, temperatiora debent esse ea quæ administras, desiccatiua cum aliquali frigiditate, temperatáque caliditate resolutiua. Exempli gratia: Sume plantaginem & gallas cum aceto coctas: item lentes cum pane misto, cum cribratura furfuris. Item granata acetosa & medij saporis in quatuor partes scissa & cocta in aceto usque ad eorundem dissolutionem, conterantur

& applicẽtur, conueniunt ab initio morbi usq; ad declinationis statum. Conuenit alterum hoc emplastrum ante hulcerationem causatam à bulla. Sume acacij, draganti, opij, corticum granatorum ana drachmam unam, uiridis æris, hyoscyamum album, fac emplastrum cum uino & serua ad usum. Quando uideas iam factã hulcerationem, supra pone id aliquãtulum desiccatiuum: Sume esdrã cũ uino et rob granato, similibus: aduerte ne partes signo circunstantes putrefiant, defende ipsas cum bolo armeno, aqua rosarum, oleo rosato, aceto rosato, & cæteris. In recessu inflãmationis, hulceratione remanente, pone emplastrum & litargyrio, & ea quæ ad malignas & corrosiuas plagas cõferunt. i. quæ refrigerant, desiccant, repercutiunt, ex quibus aliqua superius cõmemorauimus. At temperate facito cuncta, & repete ut expedit, purgationes ad intra.

De modo mitigandi dolorem circa ipsum apostema. Cap. 18.

QVæ superiori tractata sunt capite in bullis multũ nigris & corrosiuis uerificantur, at in cæteris nõ tantæ inflãmationis temperatior esto maturiorq; in repercutiendo. Ardorẽ dolorẽq; partim à morbo, partim ab ruptorijs siue ab inflãmatione proeuenientẽ, si mitigare studeas, circumpone signo medullam panis calidi recentis primũ excepti è furno, uino acetoso uel succo plantaginis intinctã. Itẽ coque prædictam medullã, necnon & lentes in aceto, applica, & sæpius muta, & ne de siccetur emplastrum illico suprapone fõlia plãtaginis. Qñ emplastrũ depõis, lauetur plagæ superficies cũ uino põtico siue acetoso, suprapone farinã hordei cũ melle. Intelligo autẽ poni debere istã nõ supra, sed circum plagam, quãuis secũdum

Petrum de Tußigniana aliósq; & doctos & expertos, hæc quæ diximus non multũ repercutiant, uerum pellunt caliditatem, confortant doloris locum, & temperato quodam calore resoluũt. Remanentẽ postea plagam his rebus curato quæ ad uenenosas corrosiuasq; attinent plagas.

De modo incidendi putrem ipsius aposthematis carnem. Cap. 19.

QVando est mortificata plaga, cura subitò ut tristis illa caro decidat. Sume brancæ ursinæ, par bæ maluauiſci, herbæ peruincæ, foliorum maluæ ana unciam unã. coquãtur, pistentur, et misceantur cum axungia porci nõ salita, & cũ butyro ueteri, sic simul ad tres dies permittantur, postea colentur, exprimantur, addẽdo colaturæ parũ ceræ & masticis seruæ ad usum. Vtq; cõpetentem faciat plaga crustã, quã postea bene diuellas, cũ dicto usus es emplastro, ungatur cum butyro & oleo. Crustam autem nulla cum uiolentia depone (id quidẽ multum obesset) morare donec natura id per se facere incipiat, quam postmodũ cũ supra dictis adiuua. Interea ne corrodat uenenum, perq; sanas corporis partes discurrat, hunc in modum succurrere opus est. Habeas uentosam amplam, ita ut totam (cum applicatur) plagam hoc modo ambiat, uidelicet ut supraposita tangat circumcirca tantũmodo carnẽ sanã, ita ut plaga nulla ex parte contingi queat à uentosa. Hanc igitur uentosam applicato, sic trahendũ uenenosum ex profundo sanguinẽ, prohibẽdũq; ne intrò reuertatur.

De modo mundificandi plagam. Cap. 20.

RVpto apostemate extractáque ueneni materia, propinanda sunt constrictiua simulq; mundificatiua. Sume farinam hordei cum melle & modico salis,

salis, suprapone folia caulium. Item sarcocollam pulueri-zatam, & mel parte æquali: si fortius uolueris, coque in primis ipsum mel, post uerò adde sarcocollam. Est equi-dem secundum Gentilem de Fulgineo, & Petrum de Tus-signiana solennis compositio, quoniam omne uulnus mũ-dificat, omnemq; sanosam plagam. Commendo pari-ter ad hanc rem emplastrum diaquilon.

De modo regenerandi carnem bonam. Cap. 21.

MVndificata cum fuerit plaga, ad bonam carnem regenerandam, accipe folia basilicons optime contusa. Item recipe xanthos, centaureæ maio-ris, herbæ pentaphyllon, consolidæ maioris ana partes æquales, destillentur in Vere per alembicum, uel facito his ex herbis succum, sicq; simul permitte donec bene permisceantur. Postea adde illis aquæ uitæ partem quin-tam, serua ad usum: istud enim mirabile inuenies in re-generando carnem. Item confert ad hoc barba asphodeli, hoc est lappa, cocta cum fæcibus uini. Item emplastrum ex coriandris uiridibus cum melle & passulis.

De uarijs modis extrahendi sanguinem à signo. De modo cauterizandi per incendium. Cap. 22.

OMnis circa signum prædicta cura quæ (ut antea narrauimus) fit cum ruptorijs simplicibus & cõpositis: Laudabilior fieret Italicorum omnũ Doctorum sententia, modo quem iamiam dicemus, post-ponendo ipsa ruptoria, & sic faciendo: Pone cauteria di stante à signo quemadmodum iam diximus, & simul supra signum magnam pone uẽtosam, qua deposita tange ipsum uarijs in locis cum rasorio & lanceola, postea uen-tosam repone, ut sanguinem attrahat, eamq; cessante san-

guinis attractione amoue. Deinde tres bene purgatas sanguisugas applica, hisq; iam repletis & amotis, gallorum uel pipionum columborumq; pullos scinde per medium, & sic calide unum post alterũ appone. Pòst secundũ quosdam debet inungi cum theriaca, dein uerò permittas eum quiescere. Nõnulli istorum loco deplumant locũ circa anũ galli, & accipiunt saponis aliqualiter obscuri, ac quasi uiridis unciam unam, opij scrupulum dimidium, pistãtq; bene, & cum sale albo pulueratißimo faciunt suppositoriũ gallo, & totum insimul superponũt. Quo peracto restaura ægrotantem, et postmodum eum leniter cauteriza. Nõ dico cum cera nec oleo feruẽti quia oppilant, sed cũ auro ignito, aut argento uel ferro, ipsumq; instrumẽtũ in summitate rotundam habeat planitiẽ ad formã unius satis magni quadrantis, sitq; in medio huiusmodi planiciei acies siue acumẽ ad formam adamantis, nõ nimis acuti. Et post incendum inunge cum butyro, & cooperias locum folio caulis, & pmitte eũ quiescere. Hoc multo eligibilius est ruptorijs, eò qd' citius operatur, magisq; pellit uenenum, meliorẽ insup qualitatẽ in membro relinquit. Posthac utũtur rebus plagæ supponẽdis, et circa, quas superius cõmorauimus post ruptoriũ administrandas et eodẽ modo. Nonnulli pestilenti morbo laborantes, nõ aliud ostendunt signum quàm maculas, ueluti morbilli, per corporis cutẽ disseminatas. Istiusmodi debẽt inuolui panno coccineo calido, et custodiri à frigore, apponanturq; duæ magnæ spõgiæ dorso cum renibus, & pectori calidæ, intinctæ decoctioni meliloti, chamomillæ, & lentis, & bene expressæ: & ieiuno stomacho, sæpius mutentur. Dabis etiã in potu decoctionẽ caricarum lentis granorum tinctorũ, et croci.

De cura secundum morem Hispanorum & Catelanorum. Cap. 25.

Dictum à nobis in præcedētibus de istiusmodi morbi cura secundum Græcorum, Latinorum, necnō & Barbarorū intētionē, maxime uerò scd'm usum Italorū, at in præsentia iuxta Hispanorū morē pariter & Catelanorū, de hisce medicamentis considerabimus. Itaq; secundū istos fit statim clystere: post uerò, si sanguis abundat, phlebotomia. Sin minus, exhibetur iuxta peccātis humoris qualitatē medicina. Ab initio applicant epithema, deinde facta aliquali euacuatione, saltem cum clystere, ad curam procedunt apostematis. More etiam istorum, nihil ex inflammantibus ardentibusq; superponi debet apostematī, quia spasmū inducūt, febres accēdunt, malignius reddunt uenenum, maxime si in emunctorijs fuerit apostema. Aiunt itē non esse in principio adponēda maturantia multum ac maceratiua, quoniam glutinant, oppilant, putrefaciunt, referuere faciunt, pelluntq; uenenum ad intra. Nec frigida quoq; dicunt administranda, nec quicquā (quia desiccat) cū spongia, neq; cum panno, quia intus claudit uapores stringitq;. At uerò cum lana munda, siue cū stuppa (maxime ex cannabo) laudabile est. Præsens decoctio est maxime familiaris, his præcipue qui sunt natura delicati, ac etiā in emunctorijs: Accipe flores chamomillæ, melilotum, capillos Veneris, bulliant in aqua, imbibe lanam siue stuppam, exemptam manibus exprime, applica tepidā uel parum calidam, singulis horis renoua, donec resoluat uel aperiat. Post uerò aperturam transacto die. 5. utere maturatiuis & quæ mundificant, regenerant. Bullis autem ut rumpantur secure superponitur scabiosa pista uel sola uel

cum ueteri axungia porci, & salita. Si uiridis est bulla uel nigra, nec tamen est in emunctorijs, aperias eam subitò uarijs in partibus cũ lanceola, uel rasorio, ut inde citò exeat uenenum. Deinde laua bullam cum aqua salsa: ne ibidẽ remaneat sanguis coagulatus, applica sanguisugas. Post cũ fuerit rupta & veneno expurgata, transacto (ut suprà) die quinto superpone maturatiua, mundificatiua, regeneratiua. Præter hæc (nisi admodum tenellæ sit ætatis ægrotãs) debet non supra sed sub bulla per sex digitorum distantiã poni ampla uẽtosa. Postea fieri debet apertio cũ lanceola uel rasorio, & iterũ apponi uẽtosa ut sanguinẽ attrahat, uidelicet uncias duas uel tres, uel plus etiam iuxta tenorẽ cõsensumq; uirtutis. Aduerte signo in emunctorijs existẽte ne proprio signo applices uẽtosas, nec incidas, nec nimis ipsum molestes frequẽtando uẽtosas, quoniam sic augetur spasmus, multi trahuntur calidi humores, peius efficitur uenenũ, & multi sic facientẽdo pereunt. Verũ si circa aures, uel in gula huiusmodi signũ appareat, applica uẽtosam retro sub spõdylibus colli, non supra uel in spatulis. Si uerò appareat sub brachijs, applica uẽtosam sub eodẽ latere, declinando uersus dorsum. Si in inguinibus, applica uẽtosam in coxa, uel retro sub clunibus. In quocunq; horũ casuum sic facito pone per sex digitorum spatium procul à signo (ut diximus) uẽtosam, & scarificando trahas sanguinẽ cũ uẽtosis uel sanguisugis. Sed supra signum, supradictam pones decoctionẽ, ut tẽperate leniat atq; resoluat. Vnà cum decoctione bonum esset si posses apponere lapidẽ quempiã uenenitractum pulueriz atum, uel integrum, ut sunt smaragdus, hyacinthus, topazius. Tamen secundum aliquos istorum possimus superponere signo sanguisugas, et

quandoq; etiã uẽtosas. Esto quod sit in emunctorijs, nulla tamen fieri debet cum uiolẽtia, post uero lauando cũ aqua salsa. Hoc fit quando signũ summe inflatũ est, uel mali coloris: & cum est apertũ signum, transacto die. 5. utuntur maturatiuis. Quod si hæc ipsa decoctio minimã faciat operationẽ, reduces eã ad formam docciæ uel guttæ. Quando ipsum apostema plus solito est inflatum, quidã post diẽ tertium fortiter incidunt ipsum per longum eius mẽbri in quo signũ apparet, per interuenia. s. euitando uenas & arterias. Et si nimis flueret sanguis, obuiam cum stuppa intincta uitello oui, & oleo rosato, non uerò in albumine, quia frigidum est & uiscosum. Eo tpe cõfortant ægrotum cum cordialibus intus & extrà. Verum sapiẽtiores inter istos non approbant hanc incisionẽ, iudicando ipsam maximi esse periculi, præsertim in emunctoriis. Post uerò quintum diẽ si febris non est ardua, ac signũ non multũ est uenenosum, nigrum, uel uiride: si etiã approximat ruptura, corpore bene purgato, incipe cũ maturatiuis, postquã feceris quæ diximus, ad maturandũ apostema. Sume barbæ mdu. uisci, barbæ liliorũ, enulæ, campanæ, cucumeris asinini, cæparũ ana libram dimidiam, caricarum pinguiũ, seminis fœnogræci, seminis lini ana unciã unam, foliorum mdu. e, mdu. uisci, brãcæ ursinæ, herbæ uiolariæ ana manipulũ unum, coquantur cũ impetu in qua, bene pistentur. Si pro delicatis hoc maturatiuũ fiat, colẽtur prædicta, coquantur, pistẽtur, & exprimantur. Postea addatur axungiæ porci recentis, liquefactæ, colatæ libra una uel quantum sufficit. Aliqui addant limacias bene pistas, unà cum cortice: hoc enim conuenit ubi cutis multum densa est, ueluti in inguinibus, & post aures. Alij addunt fermenti

panis grossi ana uncias duas aut plus, uel minus, secũdum opportunitatẽ trahendi & rumpendi, quæ res conuenientior est in bullis, quàm in inflationibus emunctoriorũ. Sũt & alia quædam leuiora maturatiua, ut est farina tritici cũ oleo & aqua simul bullita, donec ad aliquantulam tenacitatem perueniant, uel cum medullæ panis furfurei, & cũ caricis pinguibus simul coctis & postea pistis. Possumus addere oleũ oliuarum, uel oleum amygdalarũ dulciũ, aut axungiam porci recentẽ. Si talis axungia uetus esset, & salita, foret hoc emplastrum utile ad leniter rumpendum bullas. Etiam addere possumus pinguedinem gallinæ recentẽ, si tali cum pinguedine, axungia, & butyro recẽti, oleo uiolato, barbis liliorũ coctis fiat emplastrum gratũ delicatis. Huiusmodi maturatiua (ut antè diximus) fieri debent post purgationẽ cessante febre, & post, quã signũ est apertum, expurgatúmq; ueneno, transacto etiam die. 5. deinde utuntur mundificatiuis, postea regeneratiuis, ultimo consolidatiuis signi. Si bulla fuerit nigra uel uiridis & corrosiua, nec est in emunctorijs, incide cum profundatione lanceola uel rasorio. Postmodũ administrabis doccià cum aqua salsa aliqualiter calida, ne sanguis (ut diximus) coaguletur: deinde applica uẽtosam aut sanguisugas, uel anũ galli deplumatũ. Quidã applicant limaciam uiuam, nonnulli ranã uiuam: hoc aũt fieri potest quando signũ non sit in emunctorijs, postea apponi aliquod facile ruptorium quod suprà tradidimus, uel etiam istud. Sume uitellum oui cum modico salis, nec fortius, quia bullam malignaret: mutetur autẽ istud sæpius. Quòd si & hoc bullam nimis conturbaret, utere sola scabiosa pista, uel ueteri axũgia porci salita, uel simul utrisq;. Sunt quædã ruptoria admodum fortia, quæ

non debent poni ſuper emunctoria, nec ubi grauis adſit fe bris: quæ etiam ſi ponantur, ubi non minus ſit fortis, mi nime conducunt. Sume caricas crudas, & fermentum. Itē ſi hoc nō ualet, faciunt hoc fortius, obſeruatis tamē modo & ordine narrato: Sume cantharides bene tritas, & ter tiam partem axungiæ porci, hoc pone ſuper bullam mali gnatam ter uel quater. Dicunt chirurgici hoc eſſe ſæpius expertum. Qñ adhuc fortius hoc ipſum habere uolūt, ad dunt quartam partem ſaponis fullonum quod quidem di cunt in malignata bulla, & in homine robuſto mirabiliter operari. Item aliud forte pro bullis. Sume pulueris uitri bene pulueriʒati unciam dimidiam, granorum tritici trito rum uel dentibus maſticatorū unciam unam, uitellos ouo rū numero duos, croci drachmam unam, terebynthinæ un ciam unam, bene cōmiſceantur & ſuperponantur cū ſtup pis mundis. Reliqui apponūt calcem uiuam cum ſapone. At quoniā hmōi ardentia et uiolenta frequēter malignius faciunt apoſtema & febres, ideò ſecurius eſt ante hulcera tionē aduertere, ne materia intrò reuertatur, etiā ne quaſi rabida efficiatur his cum rebus acutis, in debilibus præſer tim complexionibus, uel multum cholericis, ideò his intē tionibus utile eſt emplaſtrū Galeni toti mēbro ſupponere. Sume plātaginis, lētis, panis furfurei ana partes æquales, coquantur in aqua donec ad quandam ſoliditatē pueniant, ſuperpone loco doloris & circumcirca per latum ſpatiū. Auicenna addit galas, ubi plus de ſubtili ſanguine appa ret quàm de compacto. Item ad iſtud utile eſt emplaſtrum granatorum dulcium, & acetoſorum coctorū in aceto et aqua, præſertim ubi apparet materia incenſa. Poſt uerò quā ceſſare incipit ardor, cōuenit emplaſtrum Auicennæ,

ex caricis pinguibus, passulis, nucibus, farina hordei, simul coctis ad maturandũ & rumpẽdũ. Post uerò factam ruptura, mundificetur plaga cũ succis apij, absynthij, plãtagnis, melle rosato, farina, coctis cũ modico terebynthinæ lotæ, deinde consolidatur secundum ordinẽ aliarũ plagarum: circũponitur uerò unguentũ ex bolo armeno, & oleo rosato. Quidã ab initio causa fortis attractionis, ponunt inter musculos tibiarum, uel brachij, uel sup spatulis herbã flãmulam. i. cuscutæ tritam, quæ quidem faciendo hulcerationem emunctoriorum ad se trahit humores, & mẽbrorum principalium. Istud remediũ in robustis corporibus, & ubi nulla adest febris, utile est nõ alibi nec aliter. Nõnulli actuale faciunt cauteriũ super signo cũ ferro ignito, qd' quidẽ plus conuenit robustis, & ubi nõ est ardua febris. Raimũdus inquit qd' theriaca & bolus armenus nõ trahunt ad se uenenum, sed procul depellunt: ideò dicit nõ esse assumẽda p os post secundũ uel tertiũ diẽ, qñ materia iam uenenosa est, & cor ipsum attigit, nisi bene euacuata sit & correcta. Item prohibet ne unquam super signo ponãtur nec etiã uult ut apponãtur, nisi signũ extra emunctoria fuerit, & quoq; ante tertium diẽ, & in circuitu, nõ supra. Potest administrari bolus armenus etiã post septimum diẽ, plaga ueneno expurgata, ungendo in circuitu. Sic igitur cõuenit in tertio antequam plaga sit facta uenenosa, & conuenit post septimum postquàm plaga uenenno expurgata est: in circuitu autem ungi debet cum oleo rosato, aceto rosato, & aqua rosarũ ad defendendum mẽbrum. Hactenus Hispanẽsiũ, & Catelanorũ narrauimus opiniones unà cũ correctionibus Arnoldi et Raimũdi medicorum singulariũ: uera res est, & Raimundus huius est

ſententiæ. ſ. quod nõ debeat purgari infirmus cũ phleboto mia, medicina, aut uomitu, qñ apoſtoma repletum eſt ad modum, & uenenoſum, hoc eſt, tranſacto die ſecundo, ne uenenum tali motione intro reuertatur. Hæc quidem opi nio uidetur corrigenda ſecundũ alios, & ſic uidelicet pur gari debet ſi opus ſit (cum dictis obſeruantijs) etiã poſt ip ſum diẽ ſecundũ, ſic tñ quod dum purgatur applices uẽto ſas & ſanguiſugas, ſub et ſup ſigno, & quod cor defenda tur intus & extrà cũ cordialibus frigidis: et hic quoq; mo dus nõ prorſus eſt alienus ab intẽtione præfati Raimũdi.

De aſtantium conſeruatione qui infirmum regunt. Cap. 24.

HVius aſtantes præterea quæ dicta ſunt in princi pio pro cõſeruatione (.ſ. theriacam, pilulas & ſi milia) niſi uacui fuerint ſanguinea ſuperfluitate, debẽt aliquantulum ſanguinis extrahere ex uena cõmuni, facta bona purgatione cum dictarum pilularum drachma una, uel ſaltẽ media. Vtile eſt ſæpius ſumant pulueres & medicinã cõtra morbum, ut in præcedentibus dictũ eſt, et maneant quò magis procul poſſunt ab infirmo, præſertim cũ ſunt ieiuni. Euentetur ſæpe locus habitationis, & fiant fumigia, ut ſuprà dictum eſt, nunquam prætermittendo te rebynthinam: geſtẽt in manibus faces ardentes, & carbo nes bene ſuccenſos bonis odoribus fumigantes, lauent uni uerſum corpus cum aceto tepido bis in die. ſ. manè & ſe rò. Sæpenumero mutet indumenta, & frequentius reno uet fumigia, maxime cum thuræ, terebynthina, iunipero, myrto, ſandalis, roſis, & camphora uel roremarino, lau ro et ſimilibus. Teneat in manibus arancium & faſcicu um rutæ uel querculæ maioris & mentæ ac meliſſæ cum

myrto et floſculis recentibus: ſit ſemper bene purgatus ab omni humore & cibo ſuperfluo. Iterum repete ſalutiferum illum odorem cum aqua roſarum, aceto roſato, uino maluatico, zedoaria uel corticibus citri: ſup omnia lauet ſæpius cum his manus & uultum. Cuius etiam compoſitionis pauculum bibat, & teneat etiam admotam naribus ſpongiam in eadem iam dicta miſtura intinctam, ligatam in ligno fraxini: quoniam tantam habet fraxinus cõtra uenenum potentiam ut nullum animal ueneficum eius appropinquare audeat umbræ, ſuo neq; odori: potius enim ſeſe ſponte ad cõcremandum igni cõcederet, quàm ut huic proxime adhæreret arbori. Faciant ſæpiuſcule ignes & fœcum per uniuerſam domum, maxime cum lignis & rebus odoriferis. Nec putet qui ſemel ab hoc morbo liberatus eſt, ſeſe deinceps nõ poſſe hoc in caſu perire: quia præſenti anno ter unum ex Florẽtinis noſtris hic morbus inuaſit, qui ſecundo pfectè liberatus, tertio mortem euadere nõ potuit. Eodem iterum anno in menſe ſeptembri mulierculam liberaui quãdã à peſte: ſana equidem erat, ut cæteri qui ſemper ſoſpites extiterant: at cum inter morboſos uerſaretur, poſt dies. 18. iterum infecta perijt. Nulli confidendum eſt in hoc qd' cæteris ſit fortior & magis ſanus, quoniam uenenum ita fortes interimit ut debiles. Immo uenenum iſtud plus quã reliquos offendit ſanguineos atq; robuſtos, eò quod apertæ ſunt illis pectoris uiæ, habent & cor ualde calidũ multumq; ſanguinem calidum & humidum, ideò cordis ipſa caliditas per meatus apertos multũ trahit aerem pernicioſum, & quidem ſubito trahit, anteq; temperari tranſitu poſſit. Etenim ſanguinis caliditas perquàm cito ſuccenditur & inflammatur. Confeſtim putre-

factioni subest humiditas, inq; uenenum conuertitur: quippe ut quanto plus in uase uini, & quanto potentius, tanto etiam in plus, tumq; in mordacius uertitur acetum: sic potens uenenum, tanto quidem abundantior, quãto calidior fuerit in pectore sanguis, quando equidem sanguis fit ipse uenenũ, perquã faciliter paruóq; ipsius contactu transmutatur ad idem. Conuertunt. n. se alterutrum cõtactæ inuicẽ partes ad uenenũ. Nec te prætereat o qui patiẽtis curã geris, quod quãto illi es propinquior, tum cognatione, tũ cõplexionis uel naturæ ac cõstellationis symboleitate, tanto quidẽ maiori contagionis subiaces periculo: quia lationis quædã inest qualitati promptitudo, ut similis ad simile adimpleri trãsmutatio possit ueluti ignis ad aerẽ, ad aquã aeris, huius ad terram. Et cum duæ citharæ, binæ uel fidiculæ uersu modulantur eodem, tunc quidẽ resonat motus, uóxq; huius in illam. Si uero petis, quas intret per uias uenenum: respondeo, quòd omnes per corporis poros, maxime qui magis aperti. Citius autem offendit quando per nares, per os, pérq; pulsus ingreditur, & multo quidẽ fortius si uias adinuenerit in calidis, humidis subtilibúsq; apertas humoribus, & si quoq; à similibus prouenit humoribus, siqúe influẽtia Martis cũ diuerso euenit, & modo cõtrario, cúmq; Saturnio ĩfluxu se quidẽ eo tardius demõstrat. Multoties immanet uestibus diu & cute uijs patentibus & uenis cordi propinquis, nec inde quisquàm grauari uidetur, quia pauculus est, leuisq; uapor, nec eam habet cæteris ut cordi partibus contrarietatẽ, sed ipsi tantillum cum primum cordi contiguum efficitur, manifeste nõ occulte lædit. Similiter rabidi canis uenenum, necnon & alia suam longo etiam post tempore detegunt offensionẽ.

Hæc deniq; scias uelim, quod.s. per bimestre spatium remanet uenenũ in personis. Parietes, ferramẽta et quæ sunt ex lignis constructa, nisi corrigantur cũ lotionibus, fumigijs, ignibus, per annum uel plus fortè suam reseruant uenenositatẽ. Vestes quoq; laneæ, & id genus nisi euẽtentur, lauẽtur, sæpius q; fumigentur, uel ponantur ad ignẽ, ad uẽtum, ad solẽ tribus annis & ultra remanent infectæ. Nosti quidem mucidi odorem arancij in qua muceſſerit capſula, multos seruari per annos. Similiter suo quo prius erat bõ bace muſci diu permanet odor. Equidẽ ut ignis oleum, sic nutrimentũ huius est lana ueneni: & quidẽ ita enutrit hæc lana uenenũ, ut non modo conseruet ipsum, sed et augmentet, simulq; fortificet. Non est utendum pro cibi uel potus dispositione uasis illorum qui infecti sunt, nec tangi debet quicquid adhæserit illis. Iucunde tibi uiuẽdum est, eò quòd lætitia uitalẽ confortat spiritum. Continenter & sobriè uiuas, siquidem tãti est ualoris sobrietas & continẽtia, ut ea sola mediante in multis & quidem grauibus (Athenis quæ fuerant) pestilentijs Socrates philosophus seſe seruarit in columen. Inquiunt ideò Aristoteles atque Galenus talem esse in puris corporibus dispositionem, ut fermè nũquàm sentiant pestem, uel ea ipsa (& si infecti) saltem non pereunt. En tibi iam duo, ut te conserues singularia trado. Parato ut bibi poßit smaragdum, ut tangi, ut ore teneri suspendique collo, cuius tanta est aduersus uenena uirtus, ut, teste Rasi, Auenzoar Serapione, tyris & buboninibus eius conspectu ex seſe statum lumina cadant. Pauperibus dare soleo raphanum sylueſtrem, parum pro uice ne sanguinem incendat: tantam enim habet contra uenenum efficaciam, ut Scorpionem eius contactu crepari

aciat & dicit Dioscorides, quod triuo cum aceto eius semine lotis manibus, tangendo serpẽtes nocere minime possunt. Lapis bezoar (si quis posset habere eum) super oĩa ualet aduersus uenena: quamuis enim Persico idiomate id omne bezoar ab antiquis appellari solet, cuius est ꝓprietas uirtusq; pellendi uenena: secundum tamen Seraptonẽ, & Rasim principaliter uocatur bezoar lapis quidam omnibus uenenis tum calidis tum frigidis morsibus, cũctisque ulceribus uenenosis sua uirtute resistens, & confert siue sumatur per os, tum etiam ore teneatur, uel è collo suspensus, tum deniq; quouis modo applicatus ad extra. Oritur in Syria, in India, in partibus Orientis, estq; diuersi, diuersus trini coloris. Nam quidam glaucus est & fuscus, quidam glaucus, fuscus & uiridis, alter uerò albus & aliqualiter glauculus uidelicet similis colori uini albi, clari: hic inter cæteros est optimus, læuis, delicatus, mollis, absque sapore, splendens ut lumen. Dosis eius quando per os recipitur est grana duodecim. Testificantur Rasis & Serapio sæpius se suis compertum habuisse temporibus, quod pretiosissimus iste lapis omnes tam simplices quam compositas medicinas, tum etiam cõpositas theriacas propria qualitate superauerit in resistendo uenenis. Inquit Habamed, ligetur in anulo, insculpaturq; .s. lapidi scorpionis imago, cum Luna est in Scorpione, respiciendo ipsum ascendentẽ. Quo facto sigillentur cum eo thura quando Luna fuerit in signo Scorpionis. Quod si postmodum huiuscemodi thuris puluerisati ad debitam quantitatem uenenato in potu dederis tantum ualebit aduersus uenena, quantum & proprius ipse lapis. Inquit Abdallahamarach hunc se uidisse lapidem, quem comparasse ait filium Mamari. seq;

Bezoar lapidis efficacia contra uenenum.

in ſolutionem lapidis Cordubæ pallatiũ dediſſe. Serapion ait eundem mirabilia operari non ſolum in hominibus, ſed & in cæteris quibuſdam animantibus: primum quòd contingendo hoc lapide ſcorpionis aculeum deperdit pungendi potentiam. Præterea tritum miſtumq; cũ aqua ſerpentisq; ori impoſitum, occidere eum aſſerit.

Fuge citò, procul, ac tarde reuertaris. Cap. 25.

RESeruare uiſum eſt ad libri calcem principalium hac in materia regularum declarationem. Fuge quantum potes hominum conuerſationem, & maxime quando es ieiunus. Sis ſemper remotus à ſocio ad minus per ſpatium bicubiti, & in loco libero, aperto: & ab infecto (cum ſecum loqueris) remotior ſaltem per ſex cubitorum interſtitium, & ſub diuo uel loco aereo, & caue ne uentorum flatus ab eo uerſus te ſpiret. Inter te & ipſum ſit ſol, ignis, odores, uel tendens ad ipſum uentus: loca.n. anguſta ſimúlque turba hominum, ualde periculoſa ſunt. Hoc etiam commemoro, quod parietum procinctu ac domuũ contingentia & continuatione multiplicatur morboſa contagio. Super omnia ſuadeo ut cito ac procul fugias ab his locis quibus imminet peſtis, tardéq; redeas. Dixi cito, hoc eſt quamprimum apparent ſigna proximæ peſtis: quæ quidem ſigna ſunt, quando eius loci aer extra naturalem ſuam diſpoſitionem eſſe uidetur, declinando ad calidũ & humidum, quando nebuloſus, nubesq; denſæ, puluerulentus apparet, uenti groſſi & tepidi, ac etiam quando aquæ & agri fumant & olent, ſic pariter & piſces mali ſunt ſaporis atque odoris: Cum multa ſuper terra exputrefactione nata apparent animalia, fungorum & putridarum herbarum copia, terræ fructus & animalia in-

Propĩquæ peſtis præſagia.

sipida sunt & parum cõseruantur, turbida efficiuntur uina, multa & terrestria & aerea animalia ab eo loci recedunt, insolitæ oriuntur febres, latentes, furiosæ, continuæ, fallaces, cum pectoris anxietate, cum pulsus prosternatione, phreneſis, urinarum turbulentia, palati inteſtinorum excoriationes, oculorum rubedo, uermes, morbilli, multæ fœminarum conturbationes, iræ rabidæ, rixæ, dira bella, monſtra naturæ, mirandaq; uel naturæ uel à deo ſigna, inuiſa multum & rara. Hæc. n. quæ diximus præſagia ſunt propinquæ peſtis. Tunc igitur fuge antequam unus efficiaris de duodecim mille ſignatis. Id uerò dupliciter fieri poteſt. ſ. uel quia iam captus eris contagione infectorum, uel quia triſtem infecti aeris qualitatem iam receperis, ſic quod pedetentim fiat ille tibi familiaris aer, ita quòd nec aeri natura, nec aer illi reſiſtet: uerũ ſi alienã ſubitò quæſieris aurã, abibit primus aer illiq; natura reſiſtet, & hic naturæ, prouenit unde peſtis origo. Et etiam ut procul aufugias moneo, uidelicet ut ea te ad loca conferas q̃bus res, nec pſonæ, nec ſoni, ſtrepitus, rumores quicũq; infecti loci ad te peruenire ualeant. Sicq; remotus eſto, ut alti intermedient montes, quibus uaporũ prohibeatur acceſſus, ne uentorum flatu, uel aeris dilatatione te poſſint cõtingere. Conſidera loci ad quẽ curris diſpoſitionẽ & ſitum, uideli cet ne peſtilenti quouis modo ſit ſimilis aeri, utpote in calido, frigido, humido, ſiccóq;, nubibus, pluuijs, uẽtis: ſis deniq; tali in loco firmatus, ut uẽti, nubes, pluuiæ, ſpirare, dilatari, abinde ad te moueri nequaquã poſſint. Nec te hoc fugiat, qd' horoſcopus ſiue Aſcẽdens alicuius urbis uel caſtelli infectæ uel infecti ſæpius ad ea loca oĩa peſtẽ extẽdit, quæ illi ab initio ciuitati uel caſtello ſubiacent, & quæ ali-

qualem eo cum Ascendente conformitatem habent? Tertio dicimus ut tarde reuertaris, quoniam pauxillula transacti morbi remanens infectio, potens est ad eos per quàm subito maculandum omnes, qui etiam haud intempestiuo fugam tempore ceperunt, quia maiori subsunt periculo qui locum frequẽtant infectum cum prius aufugerint, quã hi qui semper ibidem, cum cautela tamen, permanserunt, quoniam subita nouaq; male tolerat natura accidentia: & præter hoc diutissime quidem remanent hæ (ut ante diximus) qualitates in parietibus, lignamentis, uestibus, pannis quibúsque & cæteris. Quantum uerò ad solius aeris dispositionem una sufficit angaria, ita ut ubi ad tres mẽses immunes ab hoc morbo omnes quicunque sunt persteterint, iudicari potest aerem iam fore purgatum. Sed esto cautissimus in appropinquatione et contactu eorum quæ plus aere uenenum retinent. Procinctus fornacium in muris diutius seruant quàm ligna uenenosam caliditatem: uerum purificando (ut sæpius diximus) uidelicet cum ignibus, lotionibus, euentationibus, fumigijs, odoribus, & reliquis. Purificantur homines communiter spatio quatuor decim dierum: domus, lignamenta & cætera in uiginti uno. Panni, uestimenta & huiusmodi spatio dierum uiginti octo. His habeas temporibus separata ad bibendum pariter & manducandum uascula & lectisternia quæq;, uel saltem si cætera non possis linteamina reliqua lotionibus & fumigijs purificato. Equi, pecuniæ, supellectilia, sarcinulæ & huiusmodi, nisi admodum caute egeris, uenenum diu seruare solent: quare uigil, cautus & prudens esto, cunctisq; ordinatim prouideas.

FINIS.

42098
S



BIBLIOTEC

ATENEO VENETO
54
ATENEO
VENEZIA